DESCRIPTIO COMPARATA MVSCVLORVM CORPORIS HVMANI ET QVADRVPEDIS;

eorum inuentores; ortus; progressus; insertiones; actiones; ac differentias exhibens.

Cui adcesserunt:

HISTORIA MVSCVLORVM, FEMINAE SINGVLARIVM; TABVLA, EXPLICANS MVSCVLORVM NOMINA;

plurimique necessarii INDICES.

Auctore,

JACOBO DOVGLASS,

Doctore Medico.

Prodiit *Londini*, Anglice. A: P: C: N: CIↃ IↃCCVII. *in* 8*uo.*

Versio Latina.

Editio altera & emendatior.

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud GERARDVM POTVLIET.
A: P: C: N: MDCCXXXVIII.

VIRIS CELEBERRIMIS,

HERMANNO BOERHAAVE;

&

BERNARDO SIEGFRIED ALBINO,

Quorum ſola nomina quoscumque honorum titulos longe ſuperant,

SVIS IN ANATOME AC MEDICINA PRAECEPTORIBVS,

felicitatem

Joannes Fredericus Schreiber,
Regiomontanus Boruſſus.



Equiſitis ſcientiis inſtructi qui animos ad Medicinam adplicant; duplici de cauſſa, in errores prolabi poſſunt; cum, quod corporis humani fabricam, quam adcuratiſſime noscen-

dam, negligant, uel falsam, pro vera datam, ſumant: tum, quod in ratiociniis ſuis, ubi ſtatus noſtri corporis, ſanum aegrumque, explicant, ſola generalia corporum principia, ſingularibus noſtri corporis poſt habitis, admittant. Verumtamen: firmum fundamentum ſolidae Medicinae ſternit adcurata fidaque partium hiſtoria. Siue uero contempler grauitatem rei: ubi pars corporis quaeuis in infinitas machinas usque reſolubilis: ſiue circumſpectionis ſpectem magnitudinem, qua Anatomico opus, neu diuerſa pro iiſdem habeat, uel eadem pro diuerſis: ſiue denique uentoſum quorumdam inclareſcendi ſtudium arguam, quo acti, oppido falſa, pro nouis, auditoribus ſuis uendere, nulli erubescunt: ſemper certe beatum illum praedico, cui adcuratiſſimo, ac fidiſſimo in Anatome Doctore frui contigit. Ceteri nempe uel alius mundi ideam, uel ſomnia plane discipulorum ſuorum mentibus important. Neque tamen Anatome tanta, quae, ſola perſpecta, uerum poſſit effingere Medicum, licet in ſummum cadat Philoſophum. Sunt quippe ſui principiis omnibus limites; ſunt ſingulares eorum in ſingularibus caſibus determinationes: quae omnia perſpicere, uel, quod maius eſt, ſine erratione, adplicare, duce orbus, uix tentaueris felix. Certe plerique, qui

qui uel Mathematica cognitione imbuere uoluerunt Medicos, criminis huius rei adcusantur. Tales uero tandem formant Medicos, alii, non huic, uniuerso adcommodatos. En iam rationem studiorum meorum Medicorum! Volui scilicet binos hosce euitare scopulos. Ad VOS igitur adcessi discipulus, PRAECEPTORES FIDELISSIMI. Atque ita me quidem conuicistis ueritatum, uel per obseruationes, uel per experimenta, uel per demonstrationes a VOBIS repertarum, ut toties totiesque optarim; natura mihi ita fautrix in tribuendis animi dotibus contigisset, ut omnibus illis capiundis, adplicandisque in uitae usu, par fuerim! Saltim enitar, ut, si non alius quispiam, mens tamen mea doctrinarum VESTRARVM fructum aliquando percipiat. Iure igitur optumo, maxumo, quae a VOBIS in me redundarunt; beneficia, quibus maius in me collatum nescio ullum, summa interpretor. Hinc & patriam sanctitatem in VOBIS colendam: & grates publice VOBIS decreui agendas. Quas iam hisce refero, quantas animo possum concipere, maxumas: habiturus certe maiores, easdemque aeuiternas. Horum omnium ut duret monumentum, hanc adcipite MVSCVLORVM DESCRIPTIONEM; eademque, a me in Romanum sermonem translata, NO-

DEDICATIO.

MINIBVS VESTRIS ut inſcribatur, patiamini. Equidem haud diffiteor, offerri VOBIS ita, uel Auctori propria, uel a VOBIS hauſta pleraque; dabitis tamen, ſcio; in diiudicanda gratitudinis magnitudine, non tam oblatum, quam offerentis animum, menſuram exhibere. Valete. Leidae. A: P: C: N: CIↃ IↃ CCXXIIX. die tertio *Nouembris*.

JOANNES FREDERICVS SCHREIBER,

Doctor Medicus,

Interpres,

S.

LECTORIBVS.

ulgus a rerum intelligentibus in eo differt, quod illud naturae, uel artis effecta, si raro contingunt, admiretur; frequentia uero cotidianaque, necessitate quadam, supposita, non uero perspecta, fieri norit: hi uero in omnium rationes, pari studio, inquirant, nexusque, tam *finales*, quam *efficientes*, inspicere adlaborent. Hos qui in *humani corporis* partibus peruidere nituntur, *physiologi* dicuntur; quasi ipsam *φυσιν eloquerentur: φυσις* autem corporis humani est uis ac essentia eius: illi ergo demonstrent, effecta illius corporis esse caussarum suarum uiribus proportionalia. Hoc, opinor, uerum fatentur omnes; sed constabit mox, physiologos, circum *locomotiuam*, in plerisque, eadem adhuc cum uulgo frui cognitione, id est, *historica*.

Suppono; omnes motus in omni corpore animato perfici per musculos, ita & in humano; suppono musculorum fabricam uniuersalem, ut & modum, quo agere concipiuntur, qualem lubuerit fingere:

ſumo denique *originis* ac *inſertionis* musculorum definitiones, ab *Auctore* nostro, in *introductione*, traditas.

Iam uerſabor circa ſolutionem unius illius problematis, amplisſimi aeque, ac difficillimi. Quod ſic enuntio: *Distincte explicare omnes motus, in humano corpore posſibiles. Distincte uero explicare motum* est adſignare musculos, illum producentes.

Adparet facile, neminem illi ſoluendo adcommodatiorem esſe Anatomico: reliqui enim fictionis ſuspicionem uix a ſe auertent. Sed & putari posſet, Anatomicos illud iam ſoluiſſe: non enim esſe opus, quam ut; ſi in ſingulari locomotiuae ſtatu deſideretur musculus, motus illius auctor, in libellis, qui deſcripſerunt corporis humani musculos, quaerantur musculi, motae parti *inſerti*. Sic quippe ſatisfactum esſet quaeſito, uti patet ex adlegata *inſertionis* definitione. Id uerum ſi esſet ſemper, fateor; parui momenti foret problema. Quae uero omnia mox discutiemus. Vt problema ergo propoſitum recte ſoluatur; notetur:

I. *In ſeparatione musculorum ab inuicem, naturae, prout eos coniunxit, uel diuiſit, uestigiis inſiſtendum esſe*, Quo quis enim elegantius norit ſcalpello multiplicare musculos; eo plures deſcribit; & quot deſcribit, tot quoque addit actiones: ſicque actionem compoſitam reſoluit in ſimplices. Fac enim, te musculum, quem natura unum fecit, diuidere in duos; iam tibi uel demonstrandum est, utrumque musculum ſemper ſimul contrahi debere: quod numquam demonstrabis; uel dandum est; ſi alteruter agat: in caſu altero diverſae illorum actionis; diuersum fieri debere motum: in altero uero. eiusdem actionis; debiliorem adparere debere effectum.

E: G:

PRAEFATIO.

E: G: EVSTACHIVS *flexorem secundi internodii pollicis manus* & ἀντιθέναρ RIOLA:, pro uno habuisse uidetur musculo: contractus ergo hic musculus pollicem & adducit ad indicem, & aliquantum flectit simul. Ponamus iam, alios illum, contra naturae institutum, in duos diuidere: hi duas actiones singulares adstruunt: ita, ut ἀντιθέναρ, solus agens, pollicem adducat: alter uero, solus agens, illum flectat. Hi ergo ut cum natura in gratiam redeant, alterutrum demonstrent, necessum habent: uel, binos hosce musculos semper una debere agere: uel, diuersas unius musculi fibras posse contrahi, toto musculo non contracto. Posterius autem hoc sic euinci posse putarim: Sumamus: quasdam fibras eiusdem musculi non posse agere, nisi toto agente. Quia nihil sine ratione sufficienti, cur potius sit, quam non sit; debet esse ratio, cur quaedam eiusdem musculi fibrae nerueae non possint agere, nisi toto musculo contracto; quae unica propositionem negantibus ratio obstat, quia nulla uel concipi, uel dari potest ratio, cur quibusdam filamentis nerueis contractis, non quoque contrahantur aliae, uel ceterae, in eumdem musculum dispersae, eiusdem rami neruosi propagines? Si uero nulla daretur: nec possent maxumi quique musculi, quibus ab uno magno trunco sui nerui, separatim moueri: si enim nihil uetat filamentorum quorumdam, in eodem musculo, simultaneam contractionem: nihil quoque impediet simultaneam neruosi trunci ramorum, per alios musculos disseminatorum, actionem: sicque, agente e: g: neruo ischiatico, deberent simul contrahi omnes illi musculi, ad quos ille neruus pertingit. Id uero quum sit fere absurdum; iudiciis intuitiuis, cum obseruationibus de neruorum progressibus collatis, repugnans-

patet adserti nostri ueritas. Exempla uero diuisorum ita musculorum praebent quoque *crico-thyreo-pharyngaeus* EVST; aliisqui duplex: *cucullaris*; ut & *serratus anticus maior*. &c: Si autem quis duos musculos, a natura distinctos, pro uno habeat, idem dicendum est, mutatis saltim mutandis.

II. *Musculus quisque trahatur, cadauere, in omnem situm possibilem, successiue disposito.* Id hactenus a plerisque neglectum esse, nemo negabit, qui uel demonstrationibus musculorum interfuit, uel libros de musculis perlegit. Eodem uero labore, duplex percipitur fructus: *alter, ut cognoscantur musculi, ad singulares quosdam motus in primis concurrentes, uel eos soli perficientes: alter, ut discaueamus erroribus; ne idem musculus in omni situ idem perficere credatur.* Quae momentosa res! Sed enormis quoque, ac uniuersalis Anatomicorum error, paucissimos si exceperis! Prior per se innotescit. De posteriore vero disseramus paullo liberius. Error ille dupliciter committi potest. Primo enim, qui musculus, in supino cadauere, mouet partem, cui, ut aiunt, *inseritur*, ille, in alio situ, partem, a qua *oriri* putabatur, mouebit: quia ille situs non possibilis, nisi insertione illa per alios musculos firmata. Dabo rei exemplum. *Musculus patientiae oriri* dicitur a uertebris quibusdam colli, & *scapulae inseri*. Secundum definitiones *originis* & *insertionis* ergo debet adtollere scapulam. Obiter noto, illos, ex definitionibus suis, dicere debere quod oriatur a *scapula*, & inseratur dictis uertebris; namque *omoplata*, cum adpensis, est specifice grauior collo ac capite. Sit iam insertio eius firmata, hoc est, collum; (suppono discrepantiam, quae inter *extendere* & *firmare partem*, notam esse) & aliquantum eleuare poterit scapulam.

Quin

Quin & idem obtinere potest in eodem corporis situ, si eidem parti duo adfixi musculi: ubi debilior non mouebit in uno casu locum insertionis suae, si alter fortior in actione.

Annon uel inde manifestum est, terminos illos. *originem* uel *caput* musculi, & *caudam* siue *finem* eius, nullius esse usus? Quin potius tironibus ingenerare *notiones deceptrices*? Illos ergo esse *inanes*? Idcirco iure proscribendos? Aut dicendum est, musculum, eumdem, in hoc corporis situ, oriri ab illa parte; in alio uero, ab alia: sic &, pro diuerso situ, diuerse inseri. Ita e: g: *musculus patientiae*, collo firmato, oritur a uertebris ceruicis, & inseritur scapulae: illo uero non firmato, sed flexili, oritur a scapula, & inseritur nominatis uertebris. Sic & de aliis sitibus. Equidem non desunt in aliis scientiis exempla, ubi eadem notio tribuitur diuersis partibus, pro diuerso earum situ. Sic in Geometria elementari βασις figurarum dicitur illarum pars ima: quot ergo figura habet latera, tot in ea successiue possunt concipi bases. Ast talis consideratio scientiae ualde proficua, quia, quae de basi figurae demonstrantur, ualent de omnibus figurae lateribus; sicque demonstrationibus plurium propositionum plurimum inseruiunt E: g: In quo triangulo anguli ad βασιν aequales sunt; illud est aequicrurum. Id iam adplicari potest ad omnia latera. Sic in casu speciali possum proponere *Trianguli, circulo inscripti, angulus ad uerticem si fuerit angulus in semicirculo, semicirculum bifariam diuidens: dico; triangulum illud fore rectangulum, aequicrurum.* Tum iam ipsa hypothenusa fit βασις: & catheti, ob aequales angulos, sunt aequales: si uero, in eodem triangulo, cathetum alterutrum consideres, ut βασιν: propositio illa ita demonstrari nequit.

quit. Ob eamdem baseos inconstantiam, uariant quoque *uerticum* ac *altitudinum in figuris* considerationes. Idem ualet, in staticis, de *corporibus*. *Secundo*; qui musculus in hoc corporis situ hunc edebat motum, in alio efficiet alium, ob singularia impedimenta, in dato casu, determinanda. Sic e: g: qui *pyriformis*, in erecto homine femur rotat extrorsum: is, in sedente, illud non rotabit, sed abducet simpliciter. Quod patet comparanti musculum cum illo corporis situ. Sic explicari possunt *pantomimorum* actiones: si compositis sitibus, dicto modo, adtenditur.

Ope huius regulae, detexit VVINSLOVV, *bicipitem internum cubiti*, manu prona, *supinare* primo manum. Qui uero eum, manu supina, solum traxerunt musculum, ii id cognoscere non poterunt. Talia uero patescere quoque possunt a *priori*.

III. Ex *regulae* secundae *adcurata adplicatione cogniti antagonistae notentur*. Eidem enim musculo, in alio situ, alius est antagonista. Hos sane perpaucos nouimus, neque alios, quam qui omnium maxume in oculos incurrunt. Sunt uero, uel musculi, uel ossa, uel ligamenta, uel cartilagines. Ita flecti potest membrum, extensoribus ac flexoribus suis paralyticis, proprio pondere. Sic fit in dormientibus: ut & in uigilantibus, si, ceteris iisdem, extensor ualde relaxetur. Sic; in erecto, flexoribus paralyticis, caput si proprio pondere antrorsum nutet, extensores agunt. Ita *coccygaeorum* antagonistae sunt ligamenta: intercostalium; aliorumque, costas, in inspiratione, adtollentium; cartilagines costarum.

IIII. *Adtendendum est singulari musculorum cohaesioni*. Ita, *perforantibus artuum* agentibus, flectun-

tuntur ultima bina digitorum internodia simul: ut & pedis pollex.

V. Reputandum; quaenam sit ratio actionis musculorum: ubi hi non agunt liberi, prout ab Anatomicis separantur; sed ab aliis, arcte sibi incumbentibus; ut & a uaginis quibusdam comprimuntur. Sic fit in dorso; cubito; ac toto pede.

VI. Musculorum situ cognito; in uiuo, nudo homine, notentur, quinam, in quouis determinato corporis motu, musculi protuberent. Sed cautione opus est, memorata in memb. VI. Situs enim eorum nescius; tumorem, hinc & actionem, exteriori tribuet musculo, interno adscribendum.

Ex paucis hisce adductis elucet, problema propositum solutum nondum esse; sed & inde patet, cadauera sola illi soluendo non satisfacere. Quaedam eo conferrent bruta, si alia ratione, alium in finem, secarentur, quam secari solent. Immo crediderim, ni plane coecutio, omnes in omni corporis situ possibiles motus describi posse, si sceleto, musculorum loco, adplicentur *fila ansata*, omni, quae in corpore obtinet, proportione seruata. Quotiescumque rem cogitationibus fingo: toties nil deprehendo, quod repugnet. Est ergo possibilis. Et diligens eam in actum deducet. Inde ingens certe usus redundabit in Physicam, ut & artem Medicam. Certius sanabuntur musculorum contusiones: paralyses: certius commendabitur aegro hic uel ille situs, ubi in uulnerato, vel, cui os fractum, antagonista musculus agere non posse colligitur. Et quae sunt cetera.

Denique, scitu foret digna τελεολογία musculorum, ex fabrica illorum collecta: in qua tradenda tam solliciti fuere ueteres; in primis Auctor *librorum; de usu partium;*

tium; VESALIVS; EVSTACHIVS; FABRITIVS. Sic doceri deberet: Cur quisque musculus potius hic ſitus; quam alibi? Quaenam ſit biuentrium ratio? Cur pectoralis musculi fibrae exteriores longisſimae; interiores autem ſenſim ſensimque breuiores? Vt & masſiteris, aliorumque? Cur rectus abdominis habet inſcriptiones tendineas? Cur recto femoris; gastrocnaemiorumque principiis ſingularis fibrarum decurſus? Quare *obturator internus* in quatuor intrinſecus diuiditur muſculos? Quae deduces e musculorum *figuris*? Infinita huc retuleris!

Haecce uolui, non aliorum, ſed propria, ductus ratione, praefari; quorum cauſſa nemo, arbitror, me cauillabitur. Circa praeſentem uero librum pauca addo. Verti hunc librum, quia omnium adcuratisſime ac fidelisſime musculorum exhibet historiam. Rarus ergo liber dandus fuit in manus hominum. Verſionem adcommodaui Anatomiae, ita, ut huius ſolius ratio habita fuerit. Nolim ergo; libello huic contingat cenſor Grammaticus. Adiunxi tabularum EVSTA. citationes, pesſime & perfunctorie alias explanatarum. Meis uero ubique fidas; etenim eas Cl: ALBINVS explicuit ipse, cum cadaueribus collatas: ego uero easdem postea cum deſcriptionibus auctorum, VESALIanisque figuris comparaui. Subinde uero citandi fuerunt alii.

Notationes quaedam, quas adſtruxi, debentur Cl; ALBINO: collectae quippe, quum, illo duce, Anatomica mea ſtudia colerem: cuius & tractatum de *oſſibus* corporis humani ſaepisſime citaui, omnium quippe adcuratisſimum: ut ita, citata loca cum EVST. tabulis conferens, diſtinctam musculorvm notionem impetrare posſit.

Ce-

Ceteras autem non experientia, ſed fidisſimorum Anatomicorum ſuggesſit lectio.

In calce tandem libri addidi ordinem, quo natura, circa ponendos musculos, uſa fuit.

Dabam

Lugduni Batav. A: P: C: N: CIↃ IↃ CCXXIIX.
Menſe Nouembri.

PRAEFATIO.

Quamquam musculorum descriptio a uiris egregiis, industriisque, tradita saepe sit; nihilo tamen minus, amplam, poliendi illam ac emendandi, materiam relictam esse, uel libellus hicce, opinor, demonstrabit clarissime. Non quidem is sum, qui mihi persuadeam, me sustulisse errores quoscumque omnes, uel supplesse, quae deficere uidebantur in argumenti hujus scriptoribus: nae; tali quidem operi adhuc ultima imponenda manus!

Quid? quod nec dubitem ipse, me in quibusdam corrigi: aut ad minimum, descriptionibus meis, a dexteriore manu, limam adhiberi posse.

Nil descripsi, nisi, quod aiunt, de uiuo; hoc est, quae, inter dissecandum, oculis observaram; nulla aliorum descriptionibus adhibita fide: idque mihi, haec edendi, fuit incitamentum. Ante enim, quam quid ponerem de origine, progressu & insertione musculorum; eos examinaui, ab utroque latere, in plus, quam duodecim cadaueribus, tam fœtuum, *quam* adultorum: *tumque denique, obseruata mihi, securus, papyro commisi. Legi saepius, adtentusque euolui ab immortali* GALENO *usque ad haec tempora scriptores de musculis omnino omnes: tum, omnibus illorum descriptionibus inter se collatis, elegi uiuo maxime conformem; (hanc enim semper secutus sum normam) eamque tandem adcommodaui*

obſeruatis: ſicque correxi, quales uidebantur, errores (Auctorum uero nominibus omisſis); mancaque ſuppleui, pro ratione obſeruationum mearum.

Quodſi tamen cuidam ſederit ſententia, deſcriptiones meas falſitatis adcuſandi; certus ſit, me ſemper prouocaturum ad cadauera: hæcque ſi meis contraria obſervanda exhibuerint, agnitos damnabo errores illico. Omne uero illud, quod iis opponetur, cadauerum testimonio non firmandum, ſusque deque habiturus ſum.

Vtque deſcriptionum mearum cum obſeruationibus convenientiam ipſa re ostendere queam, ſemper ſeruo dimidium cadaver, arte praeparatum, (ex quo, inter cetera, deſcriptiones meas adornaui,) in quo demonstrare posſim, ubi recens non fuerit ad manus.

Nec tamen deſcripſi, niſi reperta in pluribus cadaueribus; enimuero non animaduerti tantam naturae luſuum *copiam, communiter memoratorum; ac in primis ab illis, qui adcurate inquiſitionis, dum musculos ſeparant, laborem ſubterfugiunt. Conſtat tamen, naturaum quandoque ludere ac uariare in musculi compoſitione; ſic obſeruaui duos* palmares *in una manu: detexi tria* bicipitis cubiti *capita, ſingulari capite a medio* humeri *oriundo: uidi* interosſeorum *unum a ſuperiore* carpi *parte extrinſecus procedentem; ut cetera ſileam, alias adducenda.*

Pars uero tractatus hujus comparatiua, *hoc eſt, historia musculorum in* cane, *intertexta illi humanorum, nullam, credo, defenſionem poscit. Tot enim necesſaria inuenta per disſectionem* quadru-

drupedum: *cognitio fabricae diversarum corporis partium; motus cruoris, chylique: ac intellectus actionis illarum partium; quae omnia talibus sectionibus in primis debentur; abunde factum defendunt, si forte uulgus id exagitare uoluerit.*

Quod vero speciatim concernit canis *musculos, quem dissectioni meae selegi; ad conferendos illius musculos cum humanis, hosque cum caninis, duae me mouerunt rationes. Quarum altera est opportunitas demonstrandi, qua ratione musculi, auctores motuum, cani propriorum, eiusque uitae, ubi ab humana differt, necessariorum, reperiri, eorumdemque usus intelligi possint.*

Nam omissi ea omnia, ubi natura, tam in homine, quam in cane, produxit eadem: in plurimis enim musculis, in homine, respondentibus illis in cane, est adaequata fabricae similitudo. Vbi uero quaedam adparuit differentia, uel in origine, uel in insertione eorum, ibi, (& ibi solum) notis meis comparatiuis locum dedi.

Altera fuit utilitas, inde redundatura in Anatomiae *studiosos, quum facillime obtineant canem. Quod si enim in eo dextre separare musculos noverint; habiles futuri sunt eidem operi in humano corpore, si tantum semel, uel, ad summum, bis in eo sectiones suas perfecerint.*

GALENUS, *magnus ille* Anatomicae scholae *doctor, utrumque exsecutus est, commendauitque discipulis suis reiteratas simiarum dissectiones, ualde quippe proficuas, ubi admiranda fabrica, qua constant humani corporis instrumenta, intimius perspicienda. Minime vero adfirmo, ut quidem alii id adserunt; illum, prae-*

ter eas, disſecuisſe nihil aliud; plures enim musculos adcurate deſcribit, prout reperiuntur in humano *corpore; qua ratione in nullo* quadrupede *reperiundi: ut praeteream alias rationes contrarium omnino demonstrantes. Quum vero Celebratisſimus Auctor nobis reliquerit historiam musculorum, tam ſimiae, quam hominis, notandum tibi eſt, lector, deſcriptiones eorum, quae habentur in eius* administrationibus Anatomicis *&* *Tractatu, de* disſectione musculorum, *maximam partem esſe factas e ſimiis; illas autem, quae leguntur in admirabili eius opere*, de uſu partium, *omnes deſumtas esſe de homine. Dolendum eſt, Magnum* VESALIVM *id non conſideravisſe.*

Ordinem tenui eumdem, qui ſeruatur in Chirurgorum Collegio *hujus urbis, quod omnium celeberrimum illustrisſimumque hodie in* Europa, *quantum ad* Anatomen. *Et, licet tanta auctoritas illi ordini tenendo ſuffecerit omnino: fatendum tamen eſt, illum esſe omnium facillimum, tironumque capacitati adcommodatisſimum.*

Adminiſtrationem anatomicam, hoc eſt, modum, ſeparandi musculos, prudens omiſi: talia enim auxisſent tractatus tam magnitudinem, (qui non, niſi manuale, *debebat esſe, ut commode adferri posſet, ubi publica inſtitueretur disſectio;) quam pretium; nullo tamen ſingulari in ſtudioſos uſu. Imposſibile quippe, formare operatorem per praecepta, ore tenus prolata; quum*

id non, nisi manus exercitio, dissectionumque conspectu, obtineri possit. Persequar comparatiuam talem descriptionem per omnes sex partes, in quas corpus humanum diuisere Anatomici: praesensque de musculis specimen, *quod se primum mihi commendauit, secuturorum iam agmen ducat.*

Monendus adhuc lector, musculos, detectos uel descriptos ab immortali GALENO, *exhiberi absque ullo titulo vel signo: post illum uero repertos addita sibi habere inuentorum suorum nomina: illos tandem, quos, incognitos hactenus, adsidua in hanc Anatomes partem industria, nec hominum, nec librorum auxilio, detexi, tribus asteriscis, post eorum adpellationes positis, distingui. Quamuis uero musculorum denominationibus inventorum adiecerim nomina; eos tamen descripsi, ex meis obseruatis, praetermittendo, in quanam parte ab illis Auctoribus secesserim. Vbi autem deprehendi descriptiones, uiuo conformes, uel obseruationes, quibus capiundis par fui; eas Auctoribus suis re uera uendicaui, & praecipue maximam partem datas a Celeberrimo* COVVPER, *cujus uel propriis uerbis saepe usus sum, quum impossibile fuerit, substituere alia, uiuum magis exprimentia. Estque is idem ille accuratissimus indefessusque Anatomicus, cui, pro actione plurimorum musculorum, tam humanorum, quam caninorum, me obstrictum sentio. Est ille idem, a cuius laboribus ac studio, cui ab admirabili dissecandi dexteritate & ingenti delineandi peritia par fama, perfectam musculorum humanorum historiam, nouis inventis emen-*

dationibusque abunde refertam, ornatamque figuris, de uiuo, propria manu, depictis, exspectamus cotidie.

Subiunxi tractatui huic tabulam explicantem musculorum nomina, *cuius frequens lectio, adtentaque consideratio, facilia reddet, cognitaque plurimorum barbara, nec, sine difficultate, in memoriam reuocanda nomina.*

Denique, studiose uitaui communem errorem, absque necessitate, multiplicandi musculos. Sic; exempli caussa: cubitum extendentes *descripsi, ut unum musculum: ut &* gastrocnaemium *cum* solaeo, *cui origo quadruplex*; obliqui *&* transuersi abdominis *musculi, ex mea sententia, tres tantum constituunt musculos, minime uero tot eorum paria. E contrario; de* tricipite femoris *quatuor formaui musculos, quia ipsi tot distinctae origines & fines, ut patebit ex ipsa musculorum historia, ad quam iam pedem promoueo.*

IN-

INTRODVCTIO.

Ante, quam musculos singulatim describere adgrediar, breuem fabricae, ac compositionis illorum in genere historiam, quidque *fibrae* ac *membranae* nomine intelligatur: in gratiam tironum praemittere, necessum duco: quae omnia erunt epitome reperiundorum in Auctoribus, qui ample ea de re differuere. *Fibra*, Graecis ἴς dicta, proprie significat *uillos*, a stirpium radicibus dependentes: in sensu autem Anatomico potest describi, quod sit *substantia, figuram similis tenui filo, sensilis ac irritabilis, per cujus uariam texturam ac combinationem omnes humani corporis firmae partes componuntur.*

Fibrarum harum diversae sunt species: aliae enim membranaceae; aliae carneae; aliae cartilagineae; aliae osseae; aliae nerueae: quarum tres ultimas intactas relinquimus, alio quippe pertinentes. Fibrae carneae sunt uasculosae & cauae, quae uel magnae uel parvae cellulae: hae dicuntur *fibrae motrices*; hoc est, princeps motuum muscularium ὀργανον. Sed de his, ut &, de aliis fibris membranaceis & tendineis, plura dein.

Simili modo, fibrarum harum differentia desumi potest ab illarum situ, vel decursu: inde *rectae* uocantur, ubi decurrunt longitudinaliter, hoc est, secundum rectas: *circulares*; ubi in orbem currunt, quales sunt in *sphincteribus* musculis: *transuersae*, quae interfecant

rectas ad uarios angulos: *obliquae*, quae, & rectas, & transversas, ad inaequales angulos, decussant.

Membrana est *substantia lata*, *tenuis*, *alba*, *dilatabilis*, *cui uariae fibrarum species*, *telae instar intertextae.*

Graecis adpellatur υμην, χιτων & μενιγξ: omnia enim haec nomina in operibus HIPPOCRATIS & GALENI unum idemque notant, &, absque discrimine, usurpantur: sequentes autem scriptores ea singularibus membranis adplicuere. Sic υμην dicitur tantum plexus circularis, qui in interiore membrana *uaginae uteri*, ad ejus exterius orificium adparet: μενιγξ tribuitur solum membranis, cerebrum inuoluentibus; χιτων autem notat adhuc membranam. Angli hodie, membranae uoce, late sumta, intelligunt *tegumenta* omnia, uestientia firma, uel continentia humores. Sed & haec quoque iam singularia nomina obtinuerunt, pro ratione partium, quas integunt. Ita membrana, *cranium* uestiens, uocatur *pericranium*: *thoracem* interne cingens, *pleura*: circumdata *abdomini*, *peritonaeum*: firmiter adhaerens ossium omnium superficiei, περιοστεον. Praeterea, & partium quarumdam singularium membranae nactae sunt singularia sibi nomina, ut patet ex earum historia. Membranae denique, ipsam partium membranacearum substantiam, ut, uentriculi, intestinorum &c. formantes, uel membranae uasorum, coercentes humores, proprie dicuntur *membranae*, & *uasa*.

Membranaceis fibris omnibus est elateris spe-

species, unde, occasione data, facillime extendi, ac, propria ui, contrahi possunt; uti obseruatur in *peritoneo*, *uentriculo* & *utero*. Filamenta neruea, illis intertexta, refertaque animalibus spiritibus, eas reddunt admodum sensiles; hinc ueterum error, membranas adserentium uera tactus instrumenta. Membrana omnis, tenuissima licet sensum, manifeste tamen duplex est: in cujus duplicatura uasa decurrunt. Ac interiori quidem eius membranae magna paruarum glandularum intertexta est copia, separantium humorem, qui eam lubricet, morbosamque ejus adhaesionem ad partes, quas tangit, impediat; ubi enim tegit *scirrhosum uiscus*, ibi adhaeret firmiter uicinis omnibus.

Vsus membranarum est, inuoluere, ac tegere partes; eas firmare; nonnullas earum a subiectis seruare integras; sustinere uasa, supra illas in ramos distributa, & continere nexa. Quin & digna relatu obseruatio, admirabilem partium consensum inter se dependere; maxumam partem, a ratione, secundum quam earum fibrae connectuntur.

Omnis pars corporis mollis, uulgo *caro* dicta, ab Anatomicis in uarias distribuitur partes, quas totidem dicunt musculos.

Musculus est fasciculus fibrarum carnearum tendinearumque, inclusus propriae membranae; ope cuius, omnes motus, in corpore animato, peraguntur.

Graecis *μῦς* audit (quod uocabulum *murem* proprie notat); idque forte ob similitudi-

nem, quam quidam eorum habent ad illud animal, quando cute orbatum. Alii autem; majori iure, deriuant a *μύειν*, *contrahere*: haec enim propria musculo actio.

Totum musculi corpus communiter distinguitur in tres partes; nempe caput, uel originem; corpus, siue ventrem; & caudam, seu finem: uel in medium, & duas extremitates.

Caput est pars musculi, a maxume firma parte, quam uersus fit contractio, oriunda: Constans enim est regula, omnem musculum moueri originem suam uersus: illa igitur motus sui centrum adpellari potest.

Origo musculi plerumque est tendineo-carnea: quandoque omnino tendinea; & nonnumquam carnea tantum.

Cauda, uel finis, musculi est pars eius, implantata, siue inserta membro mouendo: dicitur communiter *tendo* eius: quamquam FALLOPIVS illum saepe *chordam* uocet; Graeci uero adpellant *ἀπονεύρωσιν*: quo uero uocabulo hodie tantum intelligunt expansionem tendinosam, siue dilatationem, membranae similem, a musculi tendine procedentem, qualis a *bicipite cubiti*, *semitendinoso tibiae*, aliisque exit.

Substantia tendinis est re uera eadem cum reliquo musculi: fibrae eius solum sunt tam firmiter compactae ad inuicem, ut earum numerus maior in arctius spatium concludi possit: est durior, magisque albicans. Sicque fibrae musculi carneae sunt tantum tendo eius

di-

diuisus & mollis, & tendo non est, nisi fibrae eaedem, arctius unitae, prout SPIGELIVS id elegantissime omnium expressit.

Vero est simile, singulum quemque musculum oriri, uel finire, tendinem (hac cum differentia, quod pauci eorum finiant in περιοστεον, inseranturque immediate ipsi ossi; licet maxuma pars per illam membranam se penetret), ubi fortior, magisque conspicuus tendo extenditur a parte carnea: tenuior uero, nec tam bene distinguendus, inter carnem se abscondit, uel fibris eius implicatur.

Juuat quoque, nosse, caput, musculique caudam, esse nomina, quae uni eidemque musculi parti successiue, ac iure, adplicari possint; pro diuerso enim corporis situ, extremitates hae quoque uariare debent, quia pars, immota ante, fixaque, iam fit mobilis.

Corpus musculi est pars eius media, fibris constans carneis, rubra, laxa ac spongiosa, aeque, ac obseruari potest in carne semicocta. Porro; quaevis fibra componitur ex magno paruarum *fibrillarum* numero, quae sunt tot tenerrimi caui tubuli, colligati per parua, transuersa, parallela fila, diuidentia eas in plurimas, magnas, uesiculas, nullibi communicantes inter se, sed tantum cruori, spiritibusque locum concedentes, ubi musculus contractus. Ruber fibrarum carnearum color debetur tantum recepto iis cruori: iniiciundo enim copiosissime tepidam in arterias, rubedo desinit, fibraeque eumdem colorem cum tubis his distractilibus recipiunt.

Et

Et hae iam sunt partes, musculo propriae. Communes autem sunt arteriae, uenae, nerui, uasa lymphatica, & pinguedo. Arteriae adferunt cruorem; quem uenae ad cor referunt: nerui adducunt animales spiritus, quoties ipsis a mente communicatur impressio: lymphaeductus forte refundunt uenis a nutritione superstites humores; pinguedo denique, inter fibras, & supra illas, posita, lubricat illas, actionique suae habiliores reddit. Musculus quisque uel simplex est, uel compositus; in priore fibrae carneae sunt parallelae, omnibus eadem directio: in posteriore autem in diuersis procedunt planis, uno intersecante alterum.

Omnes musculi, eidem destinati actioni, dicuntur *congeneres*, quia sibi inuicem, in actione sua, succurrunt: oppositorum uero motuum auctores *antagonistae* adpellitantur. Sic, exempli gratia: *flexori* cuivis est suus *tensor* musculus. Estque aeternae obseruationis, uno eorum contracto, extendi eorum alterum: nam contractio musculi, agentis, necessario facit extendi antagonistam suum, uel eum, qui non agit.

Vsus, siue, actio musculorum est perficere omnes, diuersos partium motus; idque agunt, contractione propria. *Fibrillis* enim *motricibus* contractis, pars mobilis necessario agetur uersus fixam; uel partes, quae originem ac insertionem musculo concedunt, necessario propiores fieri debent. Quo autem modo id fiat, nunc quidem non inquiram; sed lectorem meum,

meum, talium speculationum amantem, remitto ad scriptores huius argumenti, ubi uariae eorum conjecturae perspici possunt. Ego enim re uera paullulum delicatus sum in transscribendo alios. Explicatio motuum muscularium, a Magno BERNOVILLI, Physico olim *Basileensi* tradita, in naturam, legesque *mechanismi* omnium maxume uidetur conueniens; necdum excogitata melior. Quumque incomparabilis eius tractatus difficulter adquiri possit, mox resarciet hanc iacturam orbi, noua eius editione, correcta, multumque aucta, Doctor MEAD, qui singularem suam in huiusmodi studiis, Physicisque, capacitatem candori & pietati coniunxit. Haec enim est unanimis omnium, quibus innotuit, de illo uox!

Musculorum differentiae saepissime deductae a rebus, unde eorum nomina deriuantur; taediosas ergo repetitiones uitaturus quasque, remitto unumquemque ad *tabulam, explicantem musculorum nomina*, iamque progredior.

CON-

CONTENTA.

Mu-

IN-

Index partium *Alphabeticus*, *una cum nominibus* & *numero musculorum*, *ad illas pertinentium.*

Biceps externus.
—— internus.
Brachialis externus.
—— internus.

MVSCVLI QVATVOR DIGITORVM MANVS, V.

Extensor digitorum manus.
Flexor profundus.
—— sublimis.
Interossei.
Lumbricales.

MVSCVLI QUATVOR DIGITORVM PEDIS, VI.

Extensor breuis.
—— longus.
Flexor profundus.
—— sublimis.
Interossei.
Lumbricales.
NB. Musculos pollicis, indicis, & digiti minimi, quaere, secundum ordinem alphabeticum.

MVSCVLI DORSI, III.

Longissimus.
Semispinalis.
Transuersales.

MVSCULI FEMORIS, XVI.

Adductores.
Gemini.
Glutaeus maior.
—— medius.
—— minor.
Iliacus externus.
—— internus.
Obturator externus.
—— internus.
Pectinalis.
Ψοας magnus.
Quadratus.

MVSCVLI CVTIS FRONTIS, ET OCCIPITIS, II.

Musculus frontalis uerus; seu, corrugator COITERI.
Occipito-frontalis.

MVSCVLI GENAE, II.

Buccinator.
Quadratus.

MVSCVLI HVMERI, IX.

Corobrachialis.
Deltoides.
Infraspinatus.
Latissimus dorsi.
Pectoralis.
Subscapularis.
Supraspinatus.
Teres maior.
—— minor.

MVSCVLI OSSIS YOIDIS, VI.

Coraco-yoidaeus.
Genio-yoidaeus.
Mylo-yoidaeus.
Sterno-yoidaeus.
Stilo-chondro-yoidaeus.
Stilo-yoidaeus.

MVSCVLI INDICIS, III.

Abductor indicis.
Extensor secundi internodii indicis proprius.
Extensor tertii internodii indicis.

MVSCVLI LABIORVM, IIX.

Depressor labii inferioris proprius.
——— ——— superioris proprius.
——— labiorum communis.
Eleuator labii inferioris proprius.
——— ——— superioris proprius.
——— labiorum communis.
Sphincter labiorum.
Zygomaticus.

MVSCVLI LARYNGIS, IIX.

Arytaenoidaeus maior.
——— ——— minor.
Crico-arytaenoidaeus, lateralis.
Crico-arytaenoidaeus, posticus.
——— thyreoidaeus.
Sterno-thyreoidaeus.
Thyreo-arytaenoideus.
To-thyreoidaeus.

MVSCVLI LINGVAE, IIII.

Cerato-glossus.
Genio-glossus.
Lingualis.
Stilo-glossus.

MVSCVLI LVMBORVM, V.

Intertransuersales.
Ψοας paruus.
Quadratus.
Spinalis.
Transuersalis; seu, sacer.

MVSCVLI MALLEI.

Vide musculos auris internae.

MVSCVLI MAXILLAE INFERIORIS, V.

Digastricus.
Massiter.
Pterigoidaeus externus.
——— ——— internus.
Temporalis.

MVSCVLVS MEATVS AVDITORII, I.

Musculus, meatus auditorii

torii notus.

MVSCVLI MINIMI DIGITI MANVS, III.

Abductor minimi digiti.

Extensor tertii internodii minimi digiti.

Flexor primi internodii minimi digiti.

MVSCVLI MINIMI DIGITI PEDIS, II.

Abductor.

Flexor primi internodii minimi digiti.

MVSCVLVS NASI, I.

Rinaeus, uel, nasalis.

MVSCVLI CVTIS OCCIPITIS.

Vide *musculos cutis frontis.*

MVSCVLI OCVLI, VI.

Abductor.

Adductor.

Depressor.

Eleuator.

Obliquus inferior.

—— *superior.*

MVSCVLI PALMAE MANVS, II.

Palmaris breuis.

—— *longus.*

MVSCVLI PALPEBRARVM, II.

Aperiens palpebr, rectus.

Orbicularis palpebrarum.

MVSCVLI PENIS, II.

Adcelerator urinae.

Erector penis.

MVSCVLI PHARYNGIS, XII.

Pharyngaeus: cuius uariae fibrarum series sequentia adcepere nomina:

Cephalo-pharyngaeus.

Chondro-pharyngaeus.

Crico-pharyngaeus.

Glosso-pharyngaeus.

Mylo-pharyngaeus.

Pterigo-pharyngaeus.

Salpingo-pharyngaeus.

Stilo-pharyngaeus.

Syndesmo-pharyngaeus.

Thyreo-pharyngaeus.

To-pharyngaeus.

MVSCVLI POLLICIS MANVS, IX.

Abductor.

Adductor ad indicem.

—— —— *minimum digitum.*

Extensor primi internodii.

—— *secundi internodii.*

—— *tertii internodi*

Flexor internodii primi.

—— —— *secundi.*

—— —— *tertii.*

MVSCVLI POLLICIS PEDIS, VI.

Abductor.
Adductor.
Extensor breuis.
——— *longus.*
Flexor breuis.
——— *longus.*

MVSCVLI RADII, IIII.

Pronator quadratus.
——— *teres.*
Supinator breuis.
——— *longus.*

MVSCVLVS STAPEDIS.

Vide *musculos auris internae.*

MVSCVLI SCAPVLAE, III.

Leuator scapulae.
Rhomboides.
Trapezius.

MVSCVLI TARSI, VI.

Extensor tarsi suralis; uulgo, *gastrocnaemius* & *solaeus.*
Extensor tarsi minor; uulgo, *plantaris.*
Peronaeus primus.
——— *secundus.*
Tibialis anticus.
——— *posticus.*

MVSCVLI TESTIVM, II.

Cremaster.
Dartos.

MVSCVLI THORACIS, XII.

Ceruicalis descendens.
Costarum depressores.
——— *leuatores.*
Diaphragma.
Intercostales.
Sacrolumbalis.
Scalenus.
Serratus, inferior, posticus.
Serratus, maior, anticus.
———, *minor*, ———
Serratus, superior, posticus.
Subclauius.
Triangularis.

MVSCVLI TIBIAE, XI.

Biceps.
Cruraeus.
Gracilis.
Membranosus.
Poplitaeus.
Rectus.
Sartorius.
Semi-membranosus.
Semineruosus.
Vastus externus.
——— *internus.*

MVSCVLVS TVBAE EVSTACHIANAE.

Musculus tubae nouus, uel,

uel *Palato-salpingaeus.*

MVSCVLI VESICAE,

II.

Detrusor urinae.

Sphincter.

MVSCVLI VVVLAE,

IIII.

Glosso-staphilinus.

Palato-staphilinus.

Salpingo-Staphilinus.

Thyreo-staphilinus.

Explicatio *nominum Auctorum, compendiose* in hoc *Tractatu citatorum, additis simul librorum eorum titulis, ut & musculorum, ab ipsis detectorum.*

CANAN: *Joannes Baptista Cananus* in *musculorum humani corporis picturata dissectione.* (a) *Ferrariae.* 1572. describit

Palmarem breuem.

CASSER: *Julii Casserii, Placentini, de uocis, auditusque organis historia Anatomica.* Ferrariae, 1600.

Ibi habetur

Externus auris.

Inque ejus *Tabulis Anatomicis*, a *Daniele* BVCRETIO editis (b),

Transuersalis pedis.

COITER: *Volcheri Coiter externarum & internarum principalium corporis humani partium tabulae, atque Anatomicae Exercitationes, obseruationesque uariae. Norimbergae* 1573. (c) ubi descriptus

Corrugator.

COVVP. *Gulielmi Couuper myotomia reformata Londini* 1694. Anglice, ubi habentur:

Eleuator labii inferioris proprius.

Depressor labii superioris proprius.

Pterygo-pharyngaeus.

Rectus, internus, minor.

Interspinales.

Spinalis lumborum.

Extensor pollicis pedis breuis.

Flexor primi internodii minimi digiti.

Costarum uero *depressores*, ipsi detectos, mihi communicauit coram, pro gratia sua.

In *Transactionibus Anglica-*

(a) Hunc nondum uidi: ergo nec locum, ubi musculus ille describitur, citare potui.

(b) Habentur illae quoque in editione operum SPIGELI, mox adleganda.

(c) Neque hunc teneo Auctorem.

canis. A. 1699. n. 21. p. 132. descripsit.

Inter-transuersales colli.

DIEMERBR. *Isbrandi de Diemerbroeck Anatome corporis humani. Vltrajecti.* 1672; ubi reperitur:

Ceruicalis descendens.

DVVERN: *Josephi du Vernay Tractatus, de organo auditus, continens structuram, & morbos omnium auris partium. Norimbergae* 1684. (d), ubi describuntur

Musculus auris externus.

—— *stapedis.*

EVSTACH: *Bartholomaeus Eustachius* de *auditus organis*: qui Tractatus editus cum ejus *Opusculis Anatomicis. Venetiis* 1563. Ibi detexit

Musculum auris internum.

FABRIT: *Hieronymus Fabritius ab Aquapendente de auditu. Patauii* 1600. Describitur

Musculus auris externus.

(d) Vsus sum editione Gallica, quae Paris. A. 1683. in 8, praestantiore quippe.

(e) Habui editionem A. 1564. ubi figurae additae.

FALLOP: *Gabrielis Fallopii Obseruationes Anatomicae*, Venetiis 1562. impressae (f) exhibent

Pyramidalem abdominis;

Aperientem palpebram, *rectum*:

Mylo-yoidaeum;

Rectum lateralem;

Pterygoidaeum externum:

Capitis par tertium: &

Erectorem clitoridis.

GALEN. *Claudius Galenus* descripsit omnes musculos, in *specimine* hoc memoratos, quibus nec nomen, nec nota addita, in incomparabilibus suis scriptis de *dissectione musculorum*; *ad tirones*; *de Anatomicis administrationibus*: & *de usu partium corporis humani.*

RIOLAN. *Joannes Riolanus* in *Anthropographia* Parisiis 1649. euulgauit.

Leuatorem ani externum.

Ψοας *paruum.*

Angonaeum.

Υποθεναρ.

Θεναρ.

SPI-

(f) Ego uero adhibui Venetam, A. 1606. editam.

SPIGEL: *Adrianus Spigelius* descripsit in *fabrica corporis humani, ex recensione Joannis Antonidae uan der Linden Amstaelredami* 1645.

Lingualem.

STENON: *Nicolai Stenonis de musculis & glandulis obseruationum specimen.* Hafniae (a) 1607. ubi

Costarum leuatores & Musculi, ad sacrolumbum adcessorii.

SYLV: *Jacobi Syluii opera Medica Coloniae Allobrogum.* 1630. (b), ubi *Massa carnea*, seu *musculi ae carnis portio.*

VALSAL: *Antonius Maria Valsalua* de *aure humana. Bononiae* 1704.; ubi describuntur:

Crico-pharyngaeus.
Glossopharyngaeus.
To-pharyngaeus.
Thyreo-pharyngaeus.
Glosso-staphilinus.
Salpingo-staphilinus.
Musculus tubae nouus.

VESAL: *Andreae Vesalii humani corporis fabrica. Basileae* 1543. (c) ubi habetur

Par nonum pedis.

Sequentes musculos, quorum nominibus additi tales asterisci ***, detexit Auctor, quum μυοτομίαν exerceret; suntque:

Musculus meatus auditorii.
Stilo-chondro-yoidaeus.
Chondro-pharingaeus.
Mylo-pharingaeus.
Salpingo-pharingaeus.
Syndesmo-pharingaeus.
Palato-staphilinus.
Thyreo-staphilinus.
Intertransuersales colli.
——— ——— *lumborum.*
Coccygaeus.
Duo musculi uaginae uteri.

(a) Et illo carui.
(b) Neque hic ad manus jam fuit.
(c) Ego uero editione ultima, quae *Leidensis*, usus sum.

MVSCV-

MVSCVLORVM DESCRIPTIO.

CAPVT I.

MVSCVLI ABDOMINIS.

§. I.

OBLIQVVS DESCENDENS.

Oritur, (1) pluribus tendinibus, (quorum qui *dorsi uertebris* propriores, ceteris longiores sunt) a septem costarum, a quinta nempe usque ad penultimam, inferiori margine, aliquantum ante illarum cartilagines: (2) tendineo-carneus ab omni earumdem costarum exteriori latere, propè illarum adpendices cartilagineas. Quatuor supremae, acutaeque illius origines intermiscentur, supra costarum corpora, *serrati antici maioris digitulis*; reliquae uero omnes adhaerescunt *latissimo dorsi*, ubi e costis prodit. Origo. EVST. T. 35. EVST. l. c. EVST. T. 28. 31. EVST. T. 31.

II. Inseritur (1.) carneus exteriori spinae (α) *ossis ilium*, ultra huius dimidium. (2.) tendineus parti anteriori *ossis* eiusdem: (3) *peritonaeo* talis: (4) *ossi pubis* (ϐ), tendine duplici: tum & largo, membranaceo, (5) toti al- Insertio. 1. EVST. T. 28. 32.

(α) *ALBIN. de ossibus* C. H. §. 191. 5.
(ϐ) ALB. §. 186. 7.

albae lineae, ut & (6) parti inferiori *ossis pectoris.* (a)

Actio. III. (1) Comprimit *uiscera abdominalia:* (2) deorsum ducit costas, in exspiratione: & (3) truncum corporis in unum latus convertit. (b).

EVST. T. 36. 37. NB. Ante, quam hic musculus auferatur, (c) separanda est pars *latissimi dorsi*, ubi adhaeret *ossi ilium:* tumque adparebunt *obliquus internus*, *triangularis lumborum*, tendo *tranuersalis abdominis*, ut & *sacrolumbalis.*

In cane oritur (1) *a decem costis inferioribus:* & (2) *membranacaeus ab summitatibus spinarum quatuor supremarum* uertebrarum *lumborum.*

§. 2. OBLIQVVS ADSCENDENS. (d)

Origo. I. Oritur (1) tendineus, a parte posteriore spinae *ossis ilium:* (2) carneus, a tota reliqua eiusdem ossis περιφερεία; tum tendineus (3) a *peritonaeo*, & (4) a parte media & antica *ossis pubis.*

1. EVST. T. 36. 2. EVST. T. 32. T. 35. 4. EVST. T. 35.

Insertio. II Inferitur (1) carneus margini inferiori costae ultimae, & extremitatibus duarum superne proximarum: (2) tendineus cartilaginibus

1. EVST. T. 36. 2. EVST. T. 35.

(a) *Cartilaginem* ergo *ensiformem*, ubi hic musculus agit, introprimit: ut patet in *respiratione.*

(b) Sic ingeniose omnium primus motum hunc, RIOLANO iam obseruatum, explicat COVVPER in M. R.

(c) Difficulter separari potest hic musculus a subiectis ipsi *intercostalibus*, ne uel hos, uel illum laedas.

(d) Dicitur quoque *obliquus internus*. Male uero *obliquus* dicitur; nam & fibrae eiusdem quaedam recta adscendunt; aliae feruntur per transuersum. Male quoque *adscendens* dicitur; nam & fibrae eius plurimae descendunt, & per transuersum currunt. Id omne eleganter expressit EVSTA. T. XXXV.

nibus costarum omnium, infra *os pectoris* positarum, ut & omni *lineae* albae longitudini.

Quum trium ultimarum costarum cartilagines sibi inuicem non adhaereant; inter illas musculus hic procedit carneus.

III. Eadem fere agit, quae praecedens (§. 1. III.). Vtriusque uero uis unita fortior, ob fibras eorum carneas, uarie decurrentes, seque decussantes. *Actio.*

In cane, praeter dictas origines, adhuc alia ipsi a lumborum spinis, ope tenuis, tendineae membranae; uti dictum supra (§. 1.)

§. 3. Quicumque taediosum describtorum (§. 1. 2. II.) tendines separandi, laborem adgredietur; obseruet illum *interni* (§. 2. II.), ante, quam ad dictam *albam lineam* pertingat, fere totum euanescere in illum *externi* (§. 1. II.) Hoc uero ut conspici possit, dissecanda prius est membrana tendinea, quae, a *transuersalis* tendine ad semilunarem lineam procedens, hic cum *adscendentis* tendine (§. 2. II.) coaluit (e).

§. 4. PYRAMIDALIS FALLOP: (f)

I. Ori-

(e) Tendinem huius musculi, ubi ad albam lineam pertingit, in duas partes findi dicunt Anatomici, *rectum* musculum, uaginae instar, includentes; parte eius tendinea, sub recto, coeunte cum *transuersalis* tendine: supra uero illum posita, cum *externi* (§. 1.) tendine confluente. Id uero demonstratum non est. Auctor uero noster sequitur sententiam COVVPER l. c. V. COLVMB. L. V. C. XXII.

(f) In *obseruationibus Anatomic.* p. 68. Nempe primus illum separauit ab *recto*; licet iam ante cognitum *VESALIO*, qui & eum depinxit, uocauitque *principium recti carneum.* Abest uero quandoque in uno latere, nonnunquam & in utroque, tum uero inferiores *rectorum* partes longe magis sunt carneae, latioresque. ARANT. C. XL. *Obseruat.*

Origo. EVST. T. 33. VESAL. T. V. L. II. n. I. Oritur, carneus, a medio partis anterioris *osſis pubis.*

Inſertio. II. Inſeritur, longo tendine, ubi *musculi transuerſales* coeunt, inter *rectos* medius, paullulum infra umbilicum.

Actio. III. Abdomen deorſum trahendo, ueſicamque comprimendo, lotii expulſionem promouet: ut dixit FALLOPIVS. (g)

Hic non adest in cane.

§. 5. RECTVS.

Origo. EVST. T. 33. I. Oritur, (1) craſſo, breuique tendine, a parte ſuperiore & antica *osſis pubis*: (2) tendine longo, alioque paruo, ab eodem osſe, prope originem *corporis penis cauernoſi.* (i) Tumque illico fit carneus.

Inſertio. EVST. l. c. adcurate habet. II. Inſeritur, *tendineo-carneus*, cartilaginibus costarum, ſeptimae, ſextae & quintae, prope *os pectoris.* (h)

Quum fibras quasdam carneas ab infima pectoralis musculi origine recipiat; hinc ad inſertionem ſuam multo largior eſt, quam ullibi alibi.

EVST. l. c. Obliquorum tendines (§. 1. 2. II.) difficulter a recti musculi inſcriptionibus ſeparantur. Harum infima est umbilico parallela: reliquae autem omnes ſupra illum adparent. (i)

Fi-

(g) Id autem praecipue agit in iunioribus: in his enim magis protuberat impleta ueſica, quam in adultis: uti docet P. FRANCI modus, ſecandi ueſicam, ſuccedens in iunioribus.

(h) Inſeritur, digitis ſerratis.

(i) Plerumque tales inſcriptiones ſunt tres; uti habet EVST. l. c. quandoque tamen quatuor, ſed saepius in femina, quam in uiro. Adparent in uiuo homine, ma-

Fibrae *transuersalis* carneae, ubi supra *os pubis* decurrunt dispersae, ibidem firmiter adhaerent *recto*.

III. (1) Comprimit partem abdominis anteriorem: (2) Pro diuerso corporis positu pectus adducit *pubi*, sicque truncum flectit antrorsum uel *contra* hanc illi; ut, dum surgimus decumbentes. (l) *Actio.*

In cane inseritur (1) carneus, parti inferiori ossis pectoris: (2) tendineus, toti illi ossi reliquo.

§. 6. TRANSVERSALIS. (m)

I. Oritur (1) largo, sed tenui, tendine, a processibus transuersis *uertebrarum lumborum*: (α): carneus (2) a margine interiore spinae *ilium*, & (3) a cartilaginibus costarum omnium, quae infra *os pectoris*. *Origo.* 1. EVST. T. 37. 2. EVST. T. 33. 37.

II. Inseritur (1) tendineus & carneus *cartilagini ensiformi*: (β) (2) tendineus toti *albae lineae & peritonaeo*: firmiter adhaerens paruae *ossis pubis protuberantiae*, (γ), ad *recti* (§. 5.) latus externum. *Insertio.* 2. EVST. T. 33.

III. (1) Comprimit latera *abdominis*. (2) iuuat, in expiratione, *Actio.*

§. 7.

macilento & nudo; idque eleganter obseruant pictores, & statuarii.

(l) Quin & *costas* deprimit, quibus inseritur in exspiratione.

(m) *Vasa mammaria*, e thorace, inter ultimae uerae costae marginem & cartilaginis ensiformis, prodeuntia, iunguntur, sub *recto* (§. 5.) supra *transuersum* musculum, obuiis sibi uasis *epigastricis*. Id optime expressit VESAL. T. II. F. VI. f. & BIDLOO T. XXXII. F. I. PP.

(α) ALBIN. l. c. §. 136. (β) ALBIN. l. c. §. 164. 8. (γ) ALBIN. §. 186. 6.

§. 7. *Peritonaeum* dum dixi (§. 1. 2. 6.), per id intelligo id, quod Auctores *ligamentum pubis* uocant. Hoc autem non est, nisi firma cohaesio tendinum musculorum descriptorum (§. *cit.*) cum *peritonaeo*, inter partem anticam spinae *ilium* & *os pubis*; (n) unde herniae illic loci, siue, delapsus intestinorum, certae alias, re uera impediuntur.

§. 8. Musculi descripti (§. 1. 2. 6.) non sunt habendi pro totidem paribus, sed pro totidem singularibus, digastricis, musculis, quippe quibus duo uentres, & unus largus medius tendo; ut iam fensere omnes, COLVMBI temporibus. Vid. R. COLVMBVS *de re Anatomica* L. V. C. XXII. *de musculis.*

§. 9. *Linea alba* est pars tendinum musculorum (§. 1. 2. 6.), adparens in intercapedine *rectorum* (§. 5.), inter *cartilaginem ensiformem* & *os pubis*, ubi dicti tendines sibi firmissime adhaerent. Arctaque illa unio producit albedinem, ibi omnium maxume conspicuam. Tendines ergo illos quum dixi albae lineae inseri; soli me loquendi consuetudini adcommodaui.

§. 10. Memorati (§. 1. 2. 6.) musculi omnes perforati sunt, paullulum supra *os pectinis*, in uno latere, & obliqui (§. 1. 2.) quidem in parte tendinea; transuersus (§. 6.) uero in carnea; ut *procesfui peritonaei*, continenti *uasa*, *deferens* & seminalia, amplae

VESAL. L. II. T. IIII. r. EVST. T. 33.

(n) obseruat nempe ALBINVS, uaginam, inuestientem femur, eo usque adscendere, illumque marginem tendineum ambire undique: dum ergo membranam illam abscindis, formas tibi *ligamenti* speciem. Ligamentum illud ab inuentore dicitur *ligamentum* POVPARTI.

plae inclusa membranae, quae a dicto processu distincta, uia concedatur. (o) Enimuero, praeter recensita, semper obseruaui neruum ac arteriam, ibi ab abdomine ad *scrotum*, *inguen*, *femorisque* supremam partem transeuntes; ut & uenulas quasdam, ab his partibus ad uentrem remeantes. Musculus *cremaster* tantum *obliquos* (§. 1. 2.) perforat. Admirabilem uero, necessariamque *annulorum* dictorum musculorum indolem exponam alibi. EVST. T. 28. 32. 33.

(o) Dum *funiculus spermaticus* per tendines *obliquorum* (§. 2.) transit, liber est a compressione. Per *transuersalem* (§. 6.) uero non transit, sed sub imo eius margine: musculus enim ille non pertingit ad *ligamentum pubis* (§. 7.) usque.

CAPVT II.

MVSCVLI TESTIVM.

Testiculo cuiuis unus est proprius musculus: utrique autem unus communis, qui *dartos*.

§. 11. DARTOS.

Est tenuis, musculosa membrana, ambos *testes* includens.

Agens, *scrotum* contrahit, corrugatque. (a)

§. 12. Musculus, cuiuis testi singularis, est

CREMASTER.

I. Oritur, distincte, (1) a parte ima & ante- *Origo.* EVST. T. 33. ubi utraque origo.

(a) Vidit de GRAAF, qui, quando uoluit, scrotum adtrahere ualuit; idque membranae huius actione,

anterior spinae *ilium*: (2) a coniunctione *ossium pubis* & *ilium*. (a)

Insertio. II. Inseritur *uaginali tunicae*, supra quam in plurimas, diuersas partes dispersus.

EVST. T. 28. 32. *Actio.* III. *Testem* sursum ducit, atque suspendit. (b)

(a) ALBIN. §. 186. 4.

(b) Narrat BARTHOL, se uidisse, quibus testes, pro lubitu, fuere mobiles: id ergo egit hicce musculus. Addunt quidam alium adhuc *cremasteris* usum, quod nempe testem comprimat, exprimat: id quod de caballis docuit MALPIGHI, observator. Dubia autem haec eius actio in homine. Iuuaret ergo, tempore coitus.

CAPVT III.

MVSCVLI PENIS.

§. 13. **P***enis* duo adcepit musculorum paria; quorum alterum est distinctissimum; alterum autem, tam in origine, quam in progressu suo ita cohaeret, ut separari nequeat. *Transuersalis penis*, cuius mentionem facit FABRITIVS, (a) nonnullis pro *leuatore ani externo* RIOLAN. descriptus ac depictus, est tantum pars musculi *adceleratoris urinae*, ab *ischii* tubere oriunda. Quum enim *cauo ouali* (b), uel, bulbo *urethrae*

COVVP. adpend. ad M. R. F. X. EE. F. XII. EE.

(a) Hunc iam cognitum C. STEPHANO, depictumque, contendit MORGAG: in *epistola* I. *Anatom*, *n*. 88. LITTRE uero in *Actis Parisinis* A. P. C. N. MDCC. eos perperam *dilatatores urethrae* dixit.

(b) Bulbum urethrae ita, ante COVVPER, uocauit BARTHOL.

thrae, non inferatur, fed cum dicto musculo ibi conjungatur; hujus alteram originem conſtituit.

§. 14. ERECTOR PENIS.

I. Oritur, tendineus & carneus, inter *tuber* oſſis *iſchium*, & *corporis cauernoſi* originem, medius; (c) (α) huiusque totum *crus* ambit. *Origo* de GRAAF de *org. viror.* T. IIX. K.K. T. IX. F. I. MM.

II. Inſeritur externae firmae membranae duorum corporum cauernoſorum *penis*, pone horum unionem. *Inſertio.*

III. *Penem* trahit *os pubis* uerſus; eoque ipſo compreſſa magna ipſius uena, refluenti cruori ſub illis oſſibus negatur exitus: ſicque ſurgit *colis*. Vid. adpendix ad egregiam *myotomiam reformatam* COVVPER. *Actio.*

§. 15. ADCELERATOR VRINAE.

I. Oritur (1) carneus, a *ſphinctere* ani *externo* & ſuperiore *urethrae* parte: (2) tendineus, ab *iſchium oſſe*. *Origo* 1. de GRAAF l. c. T. 7. K.L.

II. Inſeritur *corpori cauernoſo*, ab ortu ejus usque ad locum, qui mox infra illorum corporum unionem. (d) *Inſertio.* BIDLOO: T. 47. HH.

III. Aequabiliſſime comprimit *urethrae* bulbum, ſicque cruorem pellit *glandem* uerſus, ut tendi poſſit. (e) *Actio.*

C §. 16.

(α.) ALBIN. §. 189. I.

(c) Prope ligamentum, quod ab illo tubere ad os ſacrum pertingit.

(d) *Adcelerator* ille unus tantum proprie eſt musculus, e quo tamen duos formant, ubi per mediam longitudinem diſſcindunt.

(e) Semen quoque, & urinam, ingenti ui, exprimit: & huius in primis ultimas guttulas. Quoties in ſenecta minus agit, eidem ſuccenturiantur compreſſu urethrae externo, ad perinaeum facto.

§. 16. *Alius adhuc, praeter descriptos* (§. 14. 15.), *cani datus est musculus, qui TRANSVERSALIS mihi dicitur. Huius, uere digastrici, duo uentres oriuntur, ab utroque latere, a paruo, ac terete, tuberculo, quod in inferiore* ossis pubis *parte, uniti, per medium* tendinem, *inter illud os atque penem. Facilis foret explicatu* erectio penis *in hoc animali, posterius coeunte, a singulari huius musculi fabrica, a corpore cartilagineo, sub* ossibus pubis *transuersim posito, ut &, ab ingente* penis *uena, inter hanc & dictum musculum decurrente; ast, alii id reservabo occasioni, alienum quippe a praesenti argumento.*

CAPVT IIII.

MVSCVLI CVTIS OSSIUM, OCCIPITIS, FRONTISQVE.

Cutem capitis mouet unum musculorum par, unusque biuenter musculus.

§. 17. MVSCVLVS FRONTALIS VERVS, *siue*, CORRVGATOR COITER:

Origo. SANTORI: obs. Anat. T. I. f. I. Oritur, carneus, a processu *ossis frontis*, prope internum *orbitae* angulum, supra coalitum *ossis nasi*, ut & processus superioris *ossis maxillaris* cum illo *frontis*: (α) Inde decurrit, oblique, extrorsum, sursumque.

Insertio. II. Inseritur parti carneae sequentis musculi, *fibrillis* quibusdam, per hunc, se penetrantibus in cutem, loco, paullo altiore, quam est pars media superciliorum.

III.

(α.) ALBIN. §. 18. 7. 8.

III. Cutem frontis complanat, eam deorſum trahendo, poſt actionem *occipito frontalis*; uel, fortius contractus, illam corrugat, inter *ſuperciliorum* intervallum, uti adparet, dum forte ſupercilia corrugamus.

Hic cani datus non est.

§. 18. OCCIPITO-FRONTALIS.

I. Oritur (1) carneus, a linea *occipitis* tranſuerſa, oppoſita parti ſuperioris inſertionis *maſtoidaei*, & parti originis *trapezii*, ipſi contiguae: (2) tendineus, a reliquo illius lineae, poſteriora uerſus. Eadem ipsi, ab altero latere, origo. Hinc adſcendit rectus, moxque totus factus tendineus, integit oſſa uerticis & *ſquammoſa*, temporalibus muſculis incumbens: exteriori eius margine *oſſi iugali*, ab utroque latere, adhaerente. Largus hicce tendo, prope *ſuturam coronalem*, carneus factus, usque ad *orbiculares muſculos* recta deſcendit.

Origo.
EVST. T. 29. 31. 43. ubi *occipitales quadratos* formauit, a *frontalibus* diuerſos.

II. Inſeritur cuti, ad ſupercilia; unde deſcendentem, inter illa, obſeruaui anguſtum, carneum, faſciculum, continuatum ſupra *oſſa naſi*, usque ad eius partem cartilagineam, ubi fibrae eius declinant, ad utrumque latus; inſertum cuti, ſupra *muſculum*, *naſo proprium*.

Inſertio.
EVST. fere ubique: ſed ita tamen ac ſi ars ſuccurrere uoluerit naturae. In primis T 41. F. 1.

III. Muſculus hicce biuenter, omnem ſuperiorem caluariae partem, mitrae inſtar, integens, actus, cutem capitis retrahit, eodemque tempore, cutem frontis ſurſum ducit ac contrahit. Huic antagoniſta eſt *corrugator*. (§. 17.)

Actio.

Putauit COLVMBVS, *muſculum occipitalem*,

(a) ALBIN. §. 21. 4.

talem, quem primus defcripfit, titulo *musculi, fupercilium trahentis*, iungi *frontali*, largo fuo tendine; ficque illum retrahere cutem frontalem atque occipitis. Vid. L. V: C. VII. de *hisce musculis*.

Musculus hic in cane est tantum pars membranae carnofae, *obductae toti caluariae, cutem inter ac musculos.*

CAPVT V.

MVSCVLI PALPEBRARUM.

Duo *palpebris* data funt musculorum paria: & alterum quidem fuperiori tantum: alterum uero ambabus commune.

§. 19. APERIENS PALPEBRAM, RECTVS. FALLOP: (a)

Orig. EVST. T. 39.F.2. I. Oritur, inter *adtollentem* ac *obliquum maiorem* medius, a fuperiori parte foraminis, quod in *osse multiformi* (α), pro transeunte *neruo optico*. (b)

Infertio. l: c: II. Inferitur, largo tendine, tarso fuperioris palpebrae.

Actio. III. Eleuando palpebram, aperit oculum.

§. 20.

(a) Obf. Anat. p. 61. 62. Olim nempe haec actio fequenti musculo habebatur propria; quum uero ex ORIBASIO intellexiffet FALLOPIUS, in *fistula lacrumali* faepe exfoliari *os unguis*, & oculum tamen pro lubitu aperiri poffe: quaefivit ergo uerum leuatorem, huncque inuenit ac defcripsit.

(α) ALBIN. §. 57. 2.

(b) Quo magis recedit ab angusto fuo principio: eo latescit magis V: EVST. l. c. Inter eum quoque, & *fuperbum* musculum multa pinguedo interponitur,

§. 20. ORBICVLARIS PALPEBRARVM.

I. Oritur, tendineus ac carneus, a margine *ossis maxillaris*, inferiorem *orbitae* partem, ad internum oculi angulum, constituente. (α) Fibrae ejus supra inferiorem palpebram, magnamque *ossis mali* partem, sparsae; tum, externo circumdatae angulo, supra superiorem palpebram, superioremque orbitae partem continuantur. *Origo.* COVVP. F. 1. B. B.

II. Ad internum angulum firmiter adhaeret parti *ossis frontis* (β), superiorique *ossis maxillaris* processui. (c) *Insertio.*

III. Deducendo superiorem palpebram, inferioremque eleuando, claudit oculum. (d) *Actio.*

Ciliaris RIOLAN. est tantum musculi huius pars, *ciliis* siue, *tarsis* proxima. (e).

In cane oritur tendineus, a parte superiore ossis iugalis *ad externum oculi* angulum. Fibrillae *eius carneae, diuisae, ac utramque cingentes palpebram, quoties contrahuntur, palpebras necessario adtollent, adducent, oculumque claudent.*

§. 21. Saepius notaui paruum fasciculum car- EVST, T. 41. F. I.

(α) ALBIN. §. 82.

(β) ALBIN. §. 83.

(c) Vt & ligamento. VVINSL.

(d) Inferiorem palpebram non eleuat, nisi ualidissime agens: est enim superiore longe minus mobilis. Quia uero ad internum angulum exoritur, illum versus mouebit externum: hinc in illo semper uidentur *lemae*; ut & *lacrumae*.

(e) Est scilicet *orbicularis* pars crassior, supra inferioris palpebrae *tarsum* admodum conspicua, dispersaque, commissuram oculorum arcte claudens: nam inferitur *tarsis*, non corrugandis. Descripsit eum uero RIOLAN. p. 308

carneum, qui, ab *orbiculare* (§. 20.) procedens, descendebat una cum *zygamatico*.

CAPVT VI.

MVSCVLI OCVLI.

Quemvis oculum sex mouent musculi.

§. 22. OBLIQVVS SVPERIOR.

Origo. EVST. T. 39. F. 2. 3. 4. I. Oritur, inter *eleuatorem* ac *adductorem*, tendineus, a margine foraminis, transmittentis *neruum uisorium*; inde procedit recta, iuxta *ossis plani* longitudinem, ad superiorem *orbitae* partem, transitque per *trochleam*, quae *ossi frontis*, ad internum *angulum*, adfixa; tandem, retrolatus.

Insertio. EVST. l. c. II. Inseritur, tendineus, *tunicae scleroticae*, sub insertione *adtollentis*.

Actio. III. (1) Globum oculi antrorsum protrudit: (2) pupillam eius deorsum ducit.

§. 23. OBLIQVVS INFERIOR.

Origo. EVST. T. 39. F. 5. I. Oritur, tendineus, ab *osse maxillari*, ubi *orbitae* marginem constituit, prope coalitum suum cum *osse mali*. Inde decurrit oblique, extrorsum; &

Insertio. EVST. l. c. II. Inseritur *scleroticae*, inter insertionem *abductoris* ac *neruum opticum* medius.

Actio. III. (1) Bulbum oculi antrorsum protrudit: & (2) pupillam eius sursum ducit.

§. 24. Vsus horum (§. 22. III. 23. III.) primus detexit ingeniosus adcuratissimusque Anatomicus COVVPER *myotom. reform.* p. 50. (a)

(a) Addatur praecipue VVINLOVV. in *Actis Parisinis*. A. P. C. N. CIↃ IↃ CCXXI.

§. 25.

§. 25. ELEVATOR. *Origo.*

I. Oritur, tendineus ac carneus, a margine *foraminis laceri*, prope *abductorem*. EVST. T. 39. F. 2. 3.

II. Inseritur, tendine tenui, superiori ac anteriori parti *tunicae scleroticae*. *Insertio.*

III. Eleuat globum oculi. *Actio.*

§. 26. DEPRESSOR.

I. Oritur, tendineus carneusque, ab inferiori margine foraminis, quod pro *neruo uisorio*. *Origo.*

II. Inseritur, tendine tenui, parti *scleroticae*, insertioni prioris (§. 25. II.) oppositae. *Insertio.* EVST. T. 39. F. 5.

III. Bulbum oculi deprimit. *Actio.*

§. 27. ADDVCTOR.

I. Oritur, inter *obliquum* (§. 22.) atque *humilem* (§. 26.), tendineus & carneus, a margine foraminis, per quod in *osse multiformi* transit *neruus uisorius*. *Origo.* EVST. T. 39. F. 2. 5.

II. Inseritur, tendine tenui, *tunicae scleroticae*, qua *internum angulum* respicit. *Insertio.* EVST. l: c:

III. Adducit oculum, nasum uersus. *Actio.*

§. 28. ABDVCTOR. (b)

I. Oritur, tendineus ac carneus: a *foramine lacero*, extra *orbitam*. *Origo.*

II. Inseritur, tendine tenui, *scleroticae*, qua *externum angulum* respicit. *Insertio.* EVST. l: c:

III. Oculum extrorsum mouet, ab interno angulo ad externum. *Actio.*

§. 29. *Praeter expositos* (22-28.), *adhuc duo cani adsunt, quorum unus ad bulbum oculi,*

(b) Hi recti omnes (§. 25-28.) proprie oriuntur a membrana, quae, neruum opticum inuestiens, durae matris est propago: uti ubique delineauit EVSTA.

li, *alter autem ad* trochleam *eius pertinet. Qui prior est*

MVSCVLVS SEPTIMVS OCVLI SVSPENSORIVS, (c) *oriundus a margine foraminis, per quod neruus uisorius oculum intrat, inseriturque, diuisus in quatuor, uel quinque, portiones carneas, in* scleroticae *partem inferiorem, infra insertiones ceterorum musculorum. Bulbum oculi, ne nimis decideret, sustinet; insuperque neruum firmat tam in cane, quam in reliquis brutis, quibus dependens caput, uel, queis de terra alimentum quaeritur. Posterior autem iam dicatur* MVSCVLVS, TROCHLEAE PROPRIVS. *Paruus hicce musculus prodit prope* obliqui (§. 22. I.) *ortum, moxque degenerans in tenuem tendinem,* trochleae *inseritur, quam & mouet. Annulum uero huncce cartilagineum describam in fine* comparatae meae descriptionis de ossibus.

(c) Hunc falso ad hominem transtulit VESAL.: ut docuit FALLOP.

CAPVT VII.

MVSCVLI NASI.

Nasus cartilagineus habet unum singulare sibi musculorum par (a): tria autem cum aliis partibus communia.

§. 30.

(a) Adhuc alius paruus, tenuisque est musculus, qui *myrtiformis*, uel *semilunaris* EVSTAC:, qui, paullo supra superius labium, ab osse maxillari ortus, incuruus fertur ad alam nasi. EVST. T: XLI. F. III. Fere totus subiacet *eleuatori labii superioris proprio*, EVST. l:c: F. I.

§. 30. RINAEVS, *siue*, NASALIS. (b)
XXX.

I. Oritur, carneus, ab extremitate *ossis nasi*; ac uicina parte *ossis maxillaris*. *Origo.*

II. Inseritur *alae* cartilaginibus omnibus. *Insertio.*

III. *Alam* extrorsum ducendo, nasum aperit, atque dilatat. *Actio.*

§. 31. Communium primum est elongatio *occipito-frontalis* (§. 18. II.), cutem nasi sursum retroque ducens.

Secundum ad *elevatorem labii superioris proprium* pertinet, quod a superiore *ossis maxillaris* parte oritur, ubi *ossi frontis* iungitur, ad internum *angulum*. EVST. T. 41. F. 1.

Tertium, quod pars *depressoris labii superioris proprii*, & ad superius labrum pertinet. (c) COVVP. F. 3. D.

Planum canis nasum, usque ad maxillae superioris *finem productum, nullus singularis mouet musculus.*

b) Hunc COVPP. descripsit, titulo *dilatatoris alae nasi*

(c) Hic uero est *constrictor alarum nasi* COVVP. p. 57.

CAPVT IIX.

MVSCVLI LABIORVM.

Musculi labiorum uel sunt communes, uel proprii. *Illi*, angulis oris inserti, ubi utrumque labium sibi iungitur, utrique prospicienti; suntque eorum tria paria, unus-

que solitarius musculus.

§. 32 ZYGOMATICVS.

Origo. EVST. T. 28. 35. 41. F. 1.
I. Oritur, carneus, ab *osse iugali*, fere, ubi cum *ossis squamosi* longo processu coniungitur. (α)

Insertio. EVST. l. c.
II. Inseritur ad labiorum angulum. (a)

Actio.
III. Labia, cum suo pare, sursum ducit.

§. 33. ELEVATOR LABIORVM COMMVNIS. (b)

Origo. EVST. T. 41. F. 1. 3.
I. Oritur, tenuis ac carneus, a foramine *ossis maxillaris*, sub sinu, qui *orbiter externus*. (β)

Insertio. EVST. l. c.
II. Inseritur angulo oris: ut & inferiori labio.

Actio.
III. Eleuat utrumque labium.

§. 34. DEPRESSOR LABIORVM COMMVNIS. (c)

Origo. EVST. T. 35. & 41. F. 1.
I. Oritur, largo carneoque principio, inter partem *latissimi colli*, quae, supra *maxillam*, ad labiorum angulum, transit, & *depressorem labii inferioris proprium*; ab infimo *maxillae inferioris* latere.

Insertio. EVST. l. c.
II. Inseritur in angulum labiorum.

Actio.
III. Deprimit angulos oris. (d)

§. 35.

(α) ALBIN. §. 29: 2.

(a) Vbi cum triangulari musculo coit; ut eleganter habet EVST. T. XLI. F: 1. Agit uero tam in *ridente*, quam in *flente*. In descensu suo obliquo saepe in duas partes fissus adparet. V: EVST. T. XXIIX. XXXV.

(b) Aliis *caninus* dicitur.

(β) ALBIN. §. 81.

(c) Alii, a figura, illum *triangularem* uocant: tum uero potius *lunatus* dicendus foret.

(d) Sicque seueritatem senilis faciei exprimit. COVVPER.

§. 35. a. SPHINCTER LABIORVM: (e)

I. Fibrae eius carneae labia, annuli instar, cingunt. *Origo.* COVVP. F. 1. F. F.

II. Labia constringit, adducitque. *Actio.*

§. 35. b. Musculorum, uel superiori, uel inferiori labio propriorum, quatuor habentur paria, quoduis nempe labium, in quouis latere, duos habet musculos.

§. 36. ELEVATOR LABII INFERIORIS PROPRIVS COVVP. p. 63.

I. Oritur a maxilla inferiore, ad gingiuas *dentium incisiuorum.* *Origo.* COVVP. F. 4. F. F.

II. Inseritur cuti menti. (f) *Insertio.*

III. Eleuat mentum & labium inferius simul. *Actio.*

§. 37. ELEVATOR LABII SVPERIORIS PROPRIVS.

I. Oritur, largus & carneus, a tota *ossis maxillaris* portione, inferiorem orbitae partem formante, immediate supra foramen, neruos arteriasque, ad buccam euntes, indeque redeuntes uenas educens. (α) Coit, ab utroque latere, cum uno fasciculo, compacto, carneo: quorum breuior procedit ab *osse mali*, ad ortum *zygomatici* (§. 32. I.), longior uero a toto processu superiore *ossis maxillaris*, ubi, ad internum oculi *angulum*, cum *osse frontis* coit, (β) descendens ad latus *ductus lacrumalis.* *Origo.* EVST. T. 41. F. 1. EVST. l. c.

II.

(e) Dicitur quoque *orbicularis oris*, uel *labiorum.* Constat fibris, admodum perplexis, non parallelis sibi, neque quoque orbicularibus. Omnium uero augustissimus est ad angulos.

(f) Notat SANTOR. c. 1. §. XXIX., illos, paullo ante insertionem, se decussare: unde & labii illius corrugatores arbitratur.

(α) ALBIN. §. 79. 1. (β) ALBIN. §. 83. 4.

Insertio. II. Inseritur labio superiori; fibrillasque quasdam supra *alam narium* dispergit.

Actio. III. Labium illud extrorsum ducit: id uero eleuat, quoties cum pari suo simul agit. (f).

§. 38. DEPRESSOR LABII INFERIORIS PROPRIVS.

Origo. COVVP. F. 4. G. G. I. Oritur, carneus, a maxillae inferioris inferiore, eademque anteriore parte, quam *mentum* dicunt.

Insertio. II. Inseritur labio inferiori, prope *sphincterem* (§. 35. a.)

Actio. III. Deprimit dictum labium, ac paullulum extrorsum ducit.

§. 39. DEPRESSOR LABII SVPERIORIS PROPRIVS COVVP: p. 57.

Origo. COVVP. F. 4. D. I. Oritur, tenuis carneusque, ab *osse maxillari*, immediate supra *dentium incisiuorum* gingiuas, usque ad primum *dentem molarem*. Hinc adscendit, *eleuatoris* parte quadam (§. 37.) tectus; donec

Insertio. II. Inseratur (1) parti superiori labii superioris: (2) radici *alae nasi*.

Actio. III. Quas partes deprimit.

§. 40. *Labia canis quinque mouent musculorum paria, unusque sphincter:*

ZYGOMATICVS *fibras supra* buccinatorem *spargit; hincque, maiori ui, labia sursum, inque latus ducit.*

ELE-

(f) Retrahit quoque *nasi alam*; hinc & *retractor alae nasi* dicitur COVVPER: p. 56. Adhuc unus eidem labio datus est eleuator. isque ipsi proprius, & pari carens, qui, a medio imi nasi exortus, medio superiori labio inseritur. Saepe vero abest; quem tamen depinxit EVSTA. T. XLI. F. I.

ELEVATOR LABII SVPERIORIS *oritur, carneus, ab inferiore, siue, paruo orbitae angulo; inde descendens latescit; donec, ampla insertione, inseratur labio superiori: quod eleuat; quoties illud animal dentes denudat.*

DEPRESSOR LABII INFERIORIS *oritur circa* rostri, *hoc est, inferioris maxillae medium.*

Quod si, sub utroque labio, dentium incisiuorum *gingiuas abstuleris; uidebis* eleuatorem (§. 36.), depresforemque (§. 39.), *ut in homine, decurrentes.*

CAPUT IX.

MVSCVLI GENAE.

§. 41. Genae, siue, *buccae* nullus proprius est musculus: prospiciunt tamen illi mouendo duo, ipsi cum aliis partibus communes; quorum unus & labiis; alter autem & maxillae inferiori, labiis, maxumaeque cutis faciei parti, competit.

§. 42. BVCCINATOR.

I. Oritur, distincte, (1) tendineus & carneus, a maxilla inferiore, inter eius *dentem molarem* ultimum, & radicem partis anticae *processus coronoidis* (a) (α): (2) carneus, a maxilla superiore, inter eius ultimum *dentem maxillarem* & *processum pterygoidem* me- *Orig.*

(a) Ibidemque adhaeret *ligamento obliquo.*
(α) ALBIN. §. 110. 5.

medius; (β) a cuius procesſus extremitate adhuc tendinea musculo origo (b.) Hasce inter origines, continuatur, ab altero latere, *pterygo-pharyngaeo*: ab altero autem, *mylopharyngaeo*. Hinc procedit, rectis fibris; membranaeque internae oris, intactis tamen ubique maxillarum gingiuis, adhaeret.

EVST. T. 41. F. 3. ut & T. 33.

Inſertio. II. Inſeritur angulo labiorum.

Actio. III. (1) Genam mouet, cum labiis: (2) Labia introducendo, cauitatem oris arctat; ſicque alimenta, ut eo melius comminui posſint, interponit dentibus. (c).

§. 43. QVADRATVS GENAE, *uel*; LATISSIMVS COLLI. (d)

Origo. EVST. T. 30. VESAL. L. 2. T. 3. L.

I. Oritur, largus, tenuis, membranaceusque, (1) ab *osſe pectoris*, inter primam & ſecundam costam; (2) a *ſummo humero*, (α) & inter hunc & os pectoris medius: (3) a membranis, *pectoralem* ac *deltoidem* integentibus. Fibras carneas intertextas ſibi habet copiosisſimas, quae, adſcendentes, coeunt, unumque continuum, carneum corpus conſtituunt,

Inſertio. II. Inſeritur (1) illi externi *labri* ſpatio, quod

(β) ALBIN. §. 36. 2.

(b) Originem hanc ab illo corniculo ut nouam deſcripſit SANCTORI: C: l. n: XXXV.; ille enim Auctorem nostrum numquam uidit.

(c) *Parotidem glandulam* emulget: permittit enim ductum STENONIS.

(d) Eſt tenuisſimus musculus, pinguedini tam arcte concretus, ut absque laeſione, ab illa ſeparari nequeant: hinc illum, ſeparatum ab origine, reclinatum, pinguedinique adhaerentem, demonstrant Anatomici.

(α) ALBIN. §. 259.

quod inter labiorum commisfuram, & posticam originem *depresforis* (§. 34. I.) interiacet; indeque adfcendit rurfum, inter dictum musculum l: c:), & *masfiterem:* (2) *buccinatori* (§. 42.), prope angulum oris: & (3) membranaceus, cuti faciei.

Vbi ambo ad mentum peruenere, fe decusfant inuicem: hoc, eft, pars musculi, in dextro latere pofiti, incedit fupra alterum, inferta maxillae inferiori, in finistro latere: &, pofiti in finistro, decurrit fub altero, in inferioris maxillae dextro latere terminatura.

III. (1) Genam, cutemque faciei deducit: *Actio.* (2) os aperiundo, iuuat *biuentrem.* (b)

In cane est pars membranae carnofae, collo & buccinatori (§. 42.) *obducta.*

(b) Id uero quin agat, uetat ingens musculi tenuitas. Cutem, adnatam fici, mouere tantum uidetur, uariasque oris formare figuras. Hinc WINSLOVV illum uocat *le grimacier.*

CAPVT X.

MVSCVLI AVRICVLAE.

§. 44. Musculi auriculae uel proprii funt, uel communes. Hi uel proueniunt a medio tendine *occipito-frontalis* (§. 18.), uel a *quadrato* (§. 43.), mouentque auriculam uarie, pro diuersa illorum infertione, unde in totidem diuiduntur musculos; ab actione uero fua, adpellationes fuas apud Auctores fortiti funt: ita funt; *adtollens,*

lens, *siue*, *musculus auriculae anterior*; *deprimens*, (a) & reliqui.

Illi oriuntur ab *ossibus*, *petroso* ac *uerticis*; *conchae*, sub communibus, inserti. Est uero eorum numerus incertus. (b)

Eodem officio in cane funguntur tot parui musculi, ut superuacaneum duxerim, illos describere singulos; suffecerit adduxisse duos sequentes, omnium maxume notabiles:

RETRAHENS AD COLLVM oritur ab unione musculorum cucullarium, *supra secundum, uel tertiam, spinam colli; finitque in partem* conchae *lateralem, superioremque.*

ERIGENS *oritur a spina ossea, quae in osse occipitis, auriculae exteriori insertus, tribus carneis portionibus. Erigit aurem.*

(a) *Adtollens*, siue, *superior* VALSAL: inseritur scaphae auriculae carneus: incumbitque *temporali* musculo. EVST. T. XXIIX. XXXIIII. Hunc uidetur *Auctor* cum *anteriore auris* confudisse, qui per transuersum ad anteriorem auriculam procedit.

(b) *Posteriores auris*, in tres, pluresque diuisi partes a CASSER:, DV VERNAY & VALSAL., posticae auriculae induntur. V. EVST. T. XXXI. XXXII. XXXIII. Descripsit VALSAL: adhuc alios in auricula, qui *tragi*, *antitragi*, & *transuersales*: qui autem tantum lacertosis cadaueribus adsunt.

CAPVT XI.

MVSCVLI AVRIS INTERNAE, MEATVSQVE AVDITORII.

Sola ossicula, *malleus* atque *stapes*, mouentur in aure interna: ille a tribus musculis; hic ab uno.

§. 45.

45: EXTERNVS AVRIS FABRIT:, (a) *uel*, CASSER (b)

I. Oritur, carneus, ab asperitate, quae in latere supremo *meatus auditorii*, circa eius medium. *Origo.* FABR. T. 17. 1.

II. Inseritur, longo, sed tenui, tendine, processui superiori *mallei*, adhaerenti *membranae tympani*. *Insertio.*

III. Extrorsum ducit malleum, una cum *membrana tympani*. (c) *Actio.*

In cane procedit ab osse petroso, *ubi longo mallei processui opponitur.*

§. 46. INTERNVS AVRIS EVSTACH: (d)

I. Oritur, tendineus & carneus, a principio *tubae* EVSTACHI*anae* cartilagineae, & fine eiusdem *osseae*, tum fertur per longum canalem, qui in *osso petroso*; ingressusque cauitatem tympani, tendinescit, uaditque supra tuberculum, quod in fine illius canalis, prope *fenestram oualem*. *Origo.* DVVERN. T. 6. F. 5. VALSAL. T. 3. F. 14. B.

II. Inseritur in partem posteriorem manubrii *mallei*, paullulum remote ab huius capite. *Insertio.*

III. Malleum introrsum ducit, uersus *os petrosum*. *Actio.*

NB. Os, quod quidam tendini huius mus-

 culi

(a) VALSAL: eum uocat *musculum processus minoris mallei.*

(b) CASSER: describit p. 7. & 30. *de aure:* & depingit T. IX.: quae eadem Tabula quoque reperiunda in raro illius Tractatu de *quinque sensuum organis.*

(c) Membranam igitur tympani planam facit.

(d) p. 158. VALSAL. hunc dixit musculum *processus maioris mallei.*

culi inesse obseruant, me iudice, est finis longi illius canalis, in quo decurrit, qui, ab *osse petroso* abruptus, tendini illi relinquitur adhaerescens.

§. 47. OBLIQVVS AVRIS, *siue*, EXTERNVS DVVERN: (e)

Origo. I. Oritur, carneus, ut praecedens (§. 46. I); inde retrofertur per canalem, qui in parte superiore atque externa *tubae* EVSTACHI, nec tamen intrat cauitatem tympani.

Insertio. II. Inseritur gracili procesfui *mallei*, qui obliquo sinui, omnium maxume conspicuo in osseo *foetus* annulo, innititur.

Actio. III. Antrorsum ducit *malleum*, ad illam ossis temporis partem, unde pro parte ortus est.

Procesfum illum optume omnium descripsit CAECILIVS FOLIVS; (f) longitudine excedit *manubrium malleoli*; forma uero omnium optume exprimit paruam piscis spinam.

An EVST. T. 7. in infima figura? *Carneam glandulam* dixit. *In cane musculus hic dicendus esset GLANDIFORMIS, uel OVALIS, nam & glandulosam masfam oualis, uel teretis, figurae refert situs in singulari cauitate, quae in* osse petroso, *prope* ouale foramen, *a cuius fundo exoritur; gracili tendine finiens.*

§. 48.

(e) p. 27.; ubi & figurae citantur. Hic VALSALVAE *musculus procesfus minimi mallei* audit.

(f) Recte procesfus illius inuentor citatur FOLIVS; non uero RAV; ille enim diu iam, ante hunc, adcurate illum descripsit. V: BARTHOL. *Epist: Medicin: Cent: I.* p, m. 257. *seqq.* F II. V. g. F. III. b. RAV tamen re uera illum restituit, abque obliuione perpetua uendicauit.

§. 48. STAPIDAEVS, *uel*, MVSCVLVS STAPEDIS DVVERN: (g)

I. Oritur, carneus, a fundo canalis, *ossi lapideo* insculpti, circa medium ueri *aquaeductus* FALLOPiani, (α) lateraliter. *Origo.*

II. Inseritur, tendineus, lateri capitis *stapedis*. *Insertio.*

III. Eleuat *stapedem*. *Actio.*

§. 49. MVSCVLVS MEATVS AVDITORII. * * *.

I. Oritur ab una interruptarum cartilaginum illius meatus. *Origo.*

II. Inseritur cartilagini alii. *Insertio.*

III. Cartilagines adducit ad inuicem. *Actio.*

Reperitur uero tantum in crassis, musculosisque cadaueribus.

In cane ibi plures sunt parui musculi, qui, uenientes ab una exstante conchae *cartilagine, inseruntur alii: sicque, uel adpropinquando, uel remouendo eas ab inuicem*, porum acusticum *uel ampliant, uel contrahunt; prout conuenit recte recipiundo sono.*

(g) p. 30. ubi & figura citatur.
(α) ALBIN. §. 63.

CAPVT XII.

MVSCVLI OSSIS YOIDIS.

§. 50. *Os yoidis*, ad linguam pertinens, quinque nactum est musculorum paria, unumque imparem musculum: qui tamen omnes cum lingua atque *larynge* ipsi communes.

§. 51. MYLOYOIDAEVS FALLOP: (a)

Origo. EVST. T. 41. F. 5. I. Oritur, carneus, paullulumque tendineus, ab omni interno inferioris maxillae latere, inter ultimum *dentem molarem*, atque *mentum*. (α.)

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur margini inferiori baseos *ossis yoidis*. (β) (b)

Actio. III. Os illud sursum, antrorsum, atque in latus ducit; pro uario fibrarum decursu.

§. GENIOYOIDAEVS.

Origo. EVST. T. 41. F. 5. 8. I. Oritur, tendineus, a tuberculo aspero, quod mento intrinsecus; siue, a maxillae inferioris antica parte, intrinsecus (c) (γ).

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur utrique *ossis yoidis* lateri, datque fasciculum carneum origini utriusque procesfus *yoidis*. (δ)

Actio. III. Sursum, antrorsumque mouet illud os.

§. 53. STILOYOIDAEVS. (d)

EVST. T. 41. F. 5. in dextro. I. Oritur, terete tendine, prope medium *procesfus stiliformis*. (ε)

Insertio. II. Inseritur, carneus, basi *ossis yoidis*, prope eius *cornu*, cui, praeterea, saepe adhaeret, carne quadam.

NB. Venter huius quandoque perforatus est,

(a) p. 64.

(α) ALBIN. §. 111.

(β) ALBIN. §. 337. 4.

(b) *Mentum* inter, & basim *ossis yoidis*, arctisfime unitur pari suo, hinc quibusdam ambo unum tantum constituunt musculum. Glandulam submaxillarem, in usus masticationis, exprimit.

(c) Vterque sibi adcumbit; linea tamen distinctus;

(γ) ALBIN. §. 111. 1.

(δ) ALBIN. §. 336. 1. 4.

(d) Alii *stilo-cerato-yoidaeum* adpellant.

(ε) ALBIN. §. 29. 5.

est, in utroque latere, pro transmittendo medio tendine biuentris; quandoque in alterutro; nonnumquam utrimque est integer. EVST. T. 28.

III. Os yoidis paullulum in latus mouet: siqueparis sui actio conspirauerit, id aliquantum eleuat. *Actio.*

§. 54. STILO-CHONDRO-YOIDAEVS * * *; *siue*, STILO-YOIDAEVS ALTER. (e)

I. Oritur, carneus ac tendineus, a *processu stiliformi*, prope originem *stilo-pharyngaei*; inde decurrit, sub *cerato-glosso*, ac *Origo.* EVST. T. 41. F. II.

II. Inferitur adpendici cartilagineae *ossis yoidis*. *Insertio.*

III. Os hocce sursum, inque latus mouet: adsistit ergo descripto (§. 53. III.) *Actio.*

§. 55. CORACO-YOIDAEVS. (f) *Origo*

I. Oritur latus, tendineus ac tenuis, (1) a superiore *costa scapulae*, prope eius *sinum*, siue, cauitatem semilunarem (α): & (2) ab aliqua parte ligamenti, a margine illius sinus ad *processus coracoidis* radicem producti (β); Veras hasce origines primus docuit COLVMBVS L. V. C. XII. (g) Inde adscendit, MORGAG. *Adu:* I. T. I. EVST. T. 41. F. 5.

D 3 obli-

(e) Saepe uero, musculi huius loco, adparet tantum *ligamentum*: idque eleganter habet EVST. T. XLI. F. V. & IIX.

(f) Adpellatur quoque *coraco-cerato-yoidaeus*: ut & *digastricus*, quia talis re uera est.

(α) ALBIN. §. 257. 4.

(β) ALBIN. §. 260.

(g) De origine eius omnino uid. MORGAG: *Aduers.* I. p. 36 edit. Belg. in 4o. Semper vero ortus quaedam varietas; nam & uidi, magis uersus inferiorem *omoplatae* angulum oriundum. Sed & ante COLVMB: ueram originem tradidit GALEN:; COLVMBVM uero recte tradidisse, nesciuit MORGAG.

oblique, tendinescitque, inter *mastoidaeum* atque *uenam iugularem internam:* post uero illico rursum fit carneus, &

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur, tenui tendine, basi *ossis yoidis*, inter insertionem *sterno-yoidaei*, & *cornu* illius ossis.

Actio. III. Os illud oblique deorsum ducit.

§. 56. STERNO-YOIDAEVS.

Origo. EVST. T. 33. in sinistro. I. Oritur, carneus & tenuis, (1) a cartilagine costae primae (α): (2) ab *ossis pectoris* superiore ac inferiore parte: (β) w (3) a parte inferiore *clauiculae*, ubi cum illo osse cohaeret. (γ) (h)

Insertio. EVST. T. 41. F. 5. in *dextro.* II. Inseritur, inter mediam basim *ossis yoidis* & *coraco-yoidaeum* (§. 55. II.) medius.

III. Os illud recta deprimit.

Actio. §. 57. Stilo-chondro-, *ac* coraco-yoidaeorum (§. 54. 55.) *loco*, *cani duo alii dati sunt musculi*, *in humano corpore haud reperiundi:*

CHONDRO-CERATO-YOIDAEVS, *paruus ac carneus*; *is*, *procedens ab omni adpendice cartilaginea ossis* yoidis, *inseritur toti breuissimo processui*, *siue* cornui, *cohaerenti cum* cartilagine thyreoidaea laryngis. *Partes illas adducit ad inuicem.*

INIO-CERATO-YOIDAEVS est uerus, *breuis ac carneus musculus*, *oriundus ab antica processus* occipitis, *unde biuenter maxillae inferioris nascitur*, *insertusque*, *prope finem longissimi processus ossis yoidis*; *hocque retroagit.* *STILO-*

(α) ALBIN. §. 172. 1.
(β) ALBIN. §. 166. 2.
(γ) ALBIN. §. 263.
(h) In postica parte semper adesse inscriptiones tendineas notat MORGAG. in *Aduers.* I.

STILO-YOIDAEVS, *oblongus*, *tenuis ac carneus musculus oritur a cornu* osſis yoidis, *prope illius connexionem cum* occipite; *inde procedens, perforat biuentrem, donec in baſin osſis* yoidis *inseratur.*

STERNO-YOIDAEO eadem carnea est cum ſterno-thyreoidaeo *origo*, *nempe ab interiore latere cartilaginis primae costae*, *prope* os pectoris; *unde autem discedunt*, *ad duorum pollicum distantiam*, *uel maiorem*, *ſupra communem illorum originem.*

CAPVT XIII.

MVSCVLI LINGVAE.

Linguae quatuor ſunt musculorum paria, qui *proprii* uocandi, quod omnes illius corpori inſerti.

§. 51. GENIO-GLOSSVS.

I. Oritur, tendineus, a tubere aspero, quod in anteriore maxillae inferioris parte, circa medium mentum, intrinſecus. *Origo.* EVST. T. 41. F. 8. & 11.

II. Tum fibrae eius decurrunt tripliciter: mediae finiunt circa mediam linguam: anteriores feruntur antrorſum, illius apicem uerſus: posteriores autem oblique retrorſum, radicem linguae uerſus: quin & compactus fasciculus adfigitur, utrimque, cornubus *osſis yoidis.* *Inſertio.* EVST. l: c: elegantisſime; praecipue in F. 8.

III. Linguam uarie mouet, pro uaria fibrarum ſuarum decurſu: hoc eſt, antrorſum, extra os; introrſum, intra id: uel mucro- *Actio.*

 nem

nem linguae, deorſum, retrorſumque, agit. (a)

§. 59. CERATO-GLOSSVS.

Origo. I. Oritur, (1) largus, a *cornu* oſſis *yoidis*:
1. EVST. illique faſciculo uere nomen *cerato-gloſſo*:
T. 41. F. (2) a parte baſeos illius: tumque *ba-*
5. 8. 2. EVST. *ſiogloſſus* audit. Huncque nonnumquam
T. et F. 9. magnum iuidi: alias paruum: & quandoque plane deficientem. (3) ab adpendice *yoidis* cartilaginea; qui quorumdam *chondrogloſſus*. Haec, tria, diuerſa, capita uniuntur in unum musculum, cui eadem fibrarum directio.

Inſertio. II. Inſeritur, uastus & tenuis, ad linguae radicem, lateraliter.

Actio. III. Linguam oblique in unum latus mouet unus: uterque uero, illam directe retro agit in os.

§. 60. STILO-GLOSSVS.

Origo. I. Oritur (1) tendineus ac carneus, a *pro-*
1. EVST. *ceſſu ſtiliformi* oſſis temporum: & ſaepe ad-
T. 41. F. huc (2) a ligamento carneo, quod ab illo
5. & 7. 2. EVST. proceſſu ad inferioris maxillae angulum
T. cit. F. transit.
11. II. Inſeritur lateri linguae, a radice usque
Inſertio. ad eius fere medium.

Actio. III. Linguam in latus mouet unus; uterque uero introrſum, ſurſumque.

In cane oritur a fine longi proceſſus oſſis yoidis.

§. 61. LINGVALIS SPIGEL. p. 95.

Origo. I. Oritur, ſat largus ac carneus, a latere baſeos linguae, indeque uadit oblongus antror-

(a) Ob tot eius actiones, *polychreſtum* illum dici uult VVINSL.

trorſum, apicem uerſus, inter deſcriptos (§. 58. 59.) medius. Vtrum uero ibi deſinat; an uero, eodem modo, & alterum linguae latus circumeat, inque radicem eius inſeratur, difficulter dici potest.

II. Linguam contrahit, atque compingit, eodemque illam tempore, retro, deorſumque mouet. *Actio.*

Primus musculum hunc deſcripsit. COLVMBVS L. V. C: XIII.; *lingualem* autem ſolus dixit SPIGELIVS.

CAPVT XIIII.

MVSCVLI LARYNGIS.

Laryngem, hoc eſt, partem ſuperiorem, uel principium *aſperae arteriae*, quinque componunt cartilagines, quarum tres ſuos adcepere musculos.

§. 62. *Cartilago thyreoidaea*, ſiue, *ſcutiformis* tres, in quouis latere, habet musculos.

§. 63. YOTHYREOIDAEVS.

I. Oritur, carneus, (1) a parte baſeos *osſis yoidis*: (2) a toto fere illius *cornu*. *Origo.* EVST. T. 41. F. 5. in ſiniſtro.

II. Inſeritur lateri exteriori lineae asperae, quae inter *cartilaginis ſcutiformis* angulos. (a) *Inſertio.* EVST. l: c.

III. *Laryngem* eleuat. *Actio.*

§. 64. STERNO-THYREOIDAEVS: (b)

 I. Ori-

(a) Ibique ſequenti muſculo ſaepe innexus eſt: ut notat MORGAG. *Adu.* I. p. 3.

(b) *Sterno-yoidaeo* (§. 56.), cui ſubiacet hic musculus, est latior:

Origo. EVST. T. 33. in dextro. I. Oritur, carneus, ab omni interiori latere primi ossis *sterni*, inter primae ac secundae costae cartilagines, a quibus ipsi duae paruae origines.

Insertio. EVST. T. 41. F. 5. in *sinistro*. II. Inseritur, tendineus carneusque, superficiei lineae asperae (§. 63. II.)

Saepe fasciculum remittit ad *cornu*, uel *processum ossis yoidis*.

Actio. III. Deprimit *laryngem*. (c)

In cane ortus huius musculi cum origine sterno-yoidaei, (§. 57.) *confunditur*.

§. 65. CRICO-THYREOIDAEVS. (d)

Origo. EVST. T. 41. F. 8. 11. I. Oritur, carneus, ab anteriori parte *cartilaginis cricoidis*.

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur parti lunatae ac inferiori *thyreoidaeae*.

Actio. III. Cartilaginem *scutiformem* extrorsum, inque unum latus ducendo, cauum *laryngis* auget.

§. 66. Quaeuis cartilago *arytaenoides* tres habet proprios musculos; utraque uero duos sequentes communes.

§. 67. ARYTAENOIDAEVS MAIOR.

Origo. EVST. T. 42. F. F. 2. I. Oritur, carneus, ab una cartilagine *ary-*

latior; ut expressit EVST. T. XLI. F. V. in dextro latere. Quin & oritur a *clauicula*; ut habet EVST. T. XXXIII.

(c) Eodemque tempore, subiectam *glandulam thyreoidaeam* exprimit.

(d) Subiacet *portioni, a glandula thyreoidaea ad os yoidis protensae*, haec si adfuerit: nam & adest semper in sinistro latere: ut habet EVST. T. XLI. F. V. & IIX; quandoque uero in dextro latere: rarissime uero in utroque. Hanc ignorasse uidetur Auctor. V. MORGAG: *Adu.* I. p. m. 33.

rytaenoide, prope illius articulationem cum *cricoide*: inde decurrit per transuerſum, recta, eadem ſemper ſeruata latitudine.

II. Inſeritur eidem toti lateri alterius cartilaginis. *Inſertio.*

III. *Rimulam*, ſiue *glottidem* claudit; illas adducendo cartilagines. *Actio.*

§. 68. ARYTAENOIDAEVS MINOR.

* * *

I. Verus hicce, ſed paruus, muſculus, ſupra praecedentem (§. 67.) incedens, oritur a parte unius *cartilaginis arytaenoidaeae*, proxima *cricoidi*. in uno latere. *Origo.* EVST. T. 42. F. 1. 2.

II. Inſeritur illi alterius *arytaenoidaeae* parti, quae a *cricoide*, in altero latere, remotiſſima. *Inſertio.* EVST. l: c:

III. Iuuat praecedentem (§. 67. III.); indeque longe fortior actio, ob fibras, ſeſe manifeſte decuſſantes. *Actio.*

§. 69. CRICO-ARYTENOIDAEVS POSTICVS.

I. Oritur, carneus, a parte poſteriore cartilaginis cricoidis. *Origo.* EVST. T. 42. F. 1. 2.

II. Inſeritur cartilagini *guttali*, prope ſequentem. *Inſertio.* EVST. l: c:

III. Aperit *rimulam*. *Actio.*

§. 70. CRICO-ARYTAENOIDAEVS LATERALIS.

I. Oritur, carneus, a latere *cartilaginis cricoidis*. *Origo.* EVST. T. 42. F. 1.

II. Inſeritur cartilagini *arytaenoidi*, ſub inſertione ſuperioris fibrarum ſeriei ſequentis musculi. *Inſertio.*

III. Aperit *glottidem*. *Actio.*

§. 71.

§. 71. THYREO-ARYTAENOIDAEVS.

Origo. I. Oritur a tota longitudine partis internae concauae ac mediae *cartilaginis scutiformis.*

EVST. l. c.

Insertio. II. Inde nascuntur tres diuersae fibrarum series: quarum summa inserta guttali, prope insertionem *crico-arytaenoidei* (§. 70. II.); media, *thyreo-glottis* adpellanda, adscendit sub suprema, dispersa, obseruante COWPER, supra membranam, natam inter *glottidem* atque cartilaginem *arytaenoidem:* ima autem

Actio. inseritur angulo *arytaenoidis* anteriori.

III. Series prima ac tertia cartilaginem, cui infixae, adducunt ad *scutiformem:* sicque aequabilissime claudunt glottidem; secunda uero, in utroque latere agens, concurrere potest ad deprimendam epiglottidem; in uno autem latere contracta, ad mouendam in latus. (d)

§. 72. Epiglottis, *quae quinta* laryngis *cartilago, in cane unum musculorum par habet, quod YOGLOTTVM adpello. Oritur, carneus, ab adpendice cartilaginea* ossis yoidis *intrinsecus, partimque adhuc ab eius basi; prope originem* basio-glossi (§. 59. I. 2.); *inde uterque sibi adpropinquat, uia obliqua latus, donec in unum tendinem coëant, insertum medio superioris partis* epiglottidis, *prope huius mucronem. Hic depressam, inter deglutiendum,* epiglottidem *eleuat.*

(e) VVINSLOVV putat, illum musculum uentriculos *laryngis* complanare.

CAPVT XV.

MVSCVLI PHARYNGIS. (a)

§. 73. Quamuis ſtatuam, ſuperiorem *ſtomachi* partem, ſiue, *pharyngem*, confici tantum ab uno musculorum pari; uno musculo in quouis latere poſito, quem PHARYNGAEVM adpello, cuius fibrae carneae uarie, a uariis originibus decurrant, donec ſupra partem posteriorem glanduloſae membranae *faucium* uniantur: uerumtamen, iam ſequar adcuratum VALSALVAM, ſingulatim deſcribendo ſingulas quasque fibrarum ſeries, easdemque nominando a locis, unde natae.

§. 74. I. CEPHALO-PHARYNGAEVS; oritur, parum remote a magno occipitis foramine, a *tuberculo*, quod in proceſſu *oſſis occipitis*, coeunte cum osſe *multiformi*.

II. CHONDRO-PHARINGAEVS * * *; oritur ab adpendice cartilaginea *oſſis yoidis*. (b)

III. CRICO-PHARYNGAEVS VALSAL.; p. 51.; oritur a *cartilagine cricoide*. EVST. T. 42. F.

IIII. GLOSSO-PHARYNGAEVS VALSAL.; p. 49. oritur a linguae radice, ſiue, ſuperiore parte linguae, a latere. 4. in ſiniſtro. EVST. l: c: utrimque.

V.

(a) Hisce adiecit VVINSL: *genio-pharingaeum*, a *genis-gloſſis* (§. 58.) oriundum.

(b) Hos VALSALVA, ſub lato *yo-pharingaei* nomine, includit.

EVST. l; c. in dextro integre: ut & in T. 41. F. 11. V. YO-PHARYNGAEVS VALSAL; p. 49. oritur a *cornu ossis yoidis*; quare illum *yocerato-pharyngaeum* adpello.

VI. MYLO-PHARYNGAEVS * * *; oritur a maxilla inferiore; prope *dentem maxillarem* ultimum.

COVVP. F. 6. BB. VII. PTERIGO-PHARYNGAEVS COVVP.; oritur, tendineus ac carneus, a *processu pterygoide ossis multiformis.*

IIX. SALPINGO-PHARYNGAEVS * * * oritur ab extremitate partis osseae *tubae* EVSTACHI*anae*, quam uulgo *aquae ductum adpellant.*

In cane secedit aliquantum, in quadam ab membrana faucium *distantia, aliter, quam homine.*

IX. SYNDESMO-PHARYNGAEVS * * *; oritur a ligamento, nectente *os yoidis* ad processum *cartilaginis scutiformis.*

EVST. T. 41. F. 8. T. 42. F. 4. 6. X. STILO-PHARYNGAEVS: oritur, carneus, ad radicem *processus stiliformis.*

In cane prodit a longo cornu ossis yoidis, *prope eius extremitatem.*

EVST. T. 41. F. 8 & T. 42. F. 4. in sinistro XI THYREO-PHARYNGAEVS VALSAL: p. 50. (c) ultima haec fibrarum series oritur a linea aspera, inter duos cartilaginis *thyreoidaeae* angulos producta, ut & aliquantum ab illius cartilaginis superiori latere.

Origo. Insertio. Tot iam *musculo pharyngaeo* sunt origines: inseriturque *membranae faucium*, ubi occurrit ab altero latere uenienti pari suo. Fibrae

Actio. a *larynge*, *osse yoidis* ac *lingua* uenientes, contra-

(c) Hosce cum *crico-pharyngaeis* pro uno musculo depinxit ubique EVSTACH.; esset ergo *thyreo-crico-pharyngaeus* EVSTACHI dicendus.

trahunt *pharyngis* cauum, alimentaque in stomachum propellunt: ceterae autem illud ab omni parte ampliant, ut hisce recipiundis locus fiat.

CAPVT XVI.

MVSCVLI VVVLAE. (a)

Gargareonti, uel *uuulae*, quatuor musculorum paria adplicantur.

§. 75. GLOSSO-STAPHILINVS VALSAL: p. 45.

I. Oritur, carneus, a latere linguae. *Origo.*

II. Inseritur *uuulae*, a latere, prope eius medium. *Insertio.*

III. *Vuulam* in latus mouet unus; uterque uero illam adducit ad linguam. *Actio.*

Hosce musculos, iam ante VALSALVAM, adcurate descripsit DIONIS, Chirurgus Gallus in ANATOME CORPORIS HVMANI: memorat enim duos arcus, à lateribus *uuulae* ad linguam procedentes.

§. 76. PALATO-STAPHILINVS *** (b)

I. Oritur, carneus, a medio *ossis palati*, ubi coniungitur cum osse cognomine alterius lateris. Inde uadit recta, antrorsum. *Origo.*

II.

(a) Hos *Galli les muscles de* LITTRE adpellant.

(b) Hic tantum est solitarius musculus, sine pari, contra, quam describit, hodie praecipue notus titulo *αζυγον* MORGAGNI. Vt adpareat; palatum mobile disscindendum est.

Infertio. II. Inferitur extremitati duplicatae glandulofae membranae, quae *gargareon.*

Actio. III. *Vuulam* antrorfum agit deorfumque. Haec actio femper adfcripta *pterigo-ftaphilino interno*, donec VALSALVA illum errorem correxerit, demonstrans, illum musculum ad auris tubam pertinere, ut adparebit infra.

Musculum hunc iam cognouiffe uidetur DIONIS l: c:, (§. 75.), *uuulam* enim formari contendit per unionem duorum, rotundorum, musculorum, a *fepto nafi* oriundorum. Id autem mihi tum nondum innotuerat, quum hunc musculum defcriberem: alias enim nec nomen illud, nec asteriscos addidisfem: folaque uera eius defcriptione, errores eius correxisfem.

§. 77. SALPINGO-STAPHILINVS VALSAL: p. 45.; *uulgo* PTERI-STAPHILINVS EXTERNVS.

Musculus hic fat crasfus, atque teres,

Origo. I. Oritur, carneus, a parte osfea tubae auris. Originem hanc iam diu ante, quam VALSALVA musculum hunc illo nomine donaret, memorauit VESLING. in SYNTAGMAT. ANATOM. C. XI. p. m. 175.

Infertio. EVST. T. 42. F. 4. 6. II. Inferitur bafi *uuulae*; ibique coit cum pari fuo, ab altero latere ueniente.

Actio. III. *Vuulam* furfum, retrorfumque, ducit.

§. 78. THYREO-STAPHILINVS.

* * *

EVST. T. 42. F. 6: utrimque, ad I. Oritur, carneus, a margine fuperioris partis *cartilaginis thyreoidis*, inter *thyreo-pharyngaeum* (§. 74. XI.) & *membranam faucium* me-

medius. Inde adſcendit recta; quoque magis adcedit ad uuulam, eo magis largeſcit, ſuper cuius ſuperius latus dispergitur largus. cum-bens *ſtilo-pharyn gaeo* (§. 74. X.)

II. Difficulter dicitur, uel membrana, tegente *uuulam*, remota, an cum pari ſuo coeat, an autem gargareontem cingat, tumque deſcendat ad *cartilaginis ſcutiformis* ſuperiorem partem, in altero latere. *Inſertio.*

III. Vterque agens, durante deglutitione, *foramina narium*, maxumam partem, claudit, ne quid adſumtorum per naſum transire poſſit. *Actio.*

§. 79. *In cane, inter tonſillas, ſita ſunt duo corpora ſpongioſa, papillarum instar, paullulum remota ab inuicem; ſuntque membrana glandulosa, os inuestiens, producta uel complicata, conformis eidem in homine. Quaevis talis papilla duobus gaudet musculis: quorum alter, cui eadem origo, eademque inſertio, ut* gloſſo-ſtaphilino (§. 75.), *eam deprimit: alter autem, longus, tenuisque musculus, qui oritur, procedit ac inſeritur, ut* palato-ſtaphilinus (§. 76.), *illam adtollit inde intra naſum.*

CAPVT XVII.

MVSCVLI TVBAE EVSTACHIANAE.

§. 80. Canalis, per quem os cum tympano auris communicat, *aquaeductus FALLOPI* uulgo dictus, ab adcurato Anatomico, *VALSALVA*, a figura *tuba* dicitur, & a primo eius inuentore, EVSTA-

CHIO, *Euftachiana*. (a). Etenim, pro illa dilatanda atque aperiunda, nouum defcribit musculum VALSALVA; nam & primus docuit, musculum *pterigo-ftaphilinum internum*; fiue, *fphaeno-pterigo-palatinum*, non ad *uuulam* pertinere, fed ad dictam tubam.

§. 81. MVSCVLVS TVBAE NOVAE VALSAL: p. 43. 44. *fiue*, PALATO-SALPINGAEVS * * *.

Origo. EVST. T. 41. F. 13. prope *pterygoidaeum internum.*

Saluis aliorum fententiis, musculum huncce in duos, distinctos, recte diuidendum crediderim: (b) quorum Prior

I. procedit, tendine lato, a margine totius lunatae partis *osfis palati* (α): &

Infertio.

II. Inferitur toti membranofae, musculofae ac cartilagineae parti tubae auris.

Actio.

III. Quam dilatat, apertamque tenet: prout primo ingeniofe id invenit VALSALVA. (c)

Origo.

Pofterior uero, longe breuior,

I. Oriri uidetur ab *apice* tubae illius osfeae.

Infertio. EVST. T. 42. F. 4. & 6.

II. Inde adfcendit, priori firmiffime adcretus, donec ad procesfum, hamulo fimilem, qui in interiore *ala procesfus pterigoidis* (β), peruenerit: ibi enim tendo paruus eius priorem deferit, latescit, magisque fit gracilis, atque illico difpergitur fupra *membranam faucium*,

(a) Hunc errorem errauerunt maxumi quique: DVVERNAY; COVVPER; DOVGL. & alii, non fine dedecore.

(α) ALBIN. §. 86.

(b) Vnum tantum musculum esfe, tenent omnes fere Anatomici.

(c) Nafique interna foramina dilatare, dicit VALSAL. ib.

(β) ALBIN. §. 37: 4.

tium, ad *uuulae* latera, ſupra *narium foramina.*

III. Vbi cum pari ſuo ſimul agit, actioni *thyreo-ſtaphilini* (§. 78. III.) contraria efficit. *Actio*

§. 82. *Diu ante, quam egregius VALSALVAE tractatus in manus meas incideret, demonstraui musculum, ſequenti canino aliquantum conformem, quem, ab origine, progresſu, ac inſertione ſua adpello*

TYMPANO-PETROSO-SALPINGO-PTERIGO-PALATINVM.

Hic oritur, loco, ouali musculo (§. 47.) *oppoſito, ab* osſe petroſo, *in cauitate* tympani: *inde exiens; ad latus* ductus a palato ad aurem, (*cuius membranoſae carneaeque parti firmiter adhaeret*), *fit carneus; taliſque pergit, donec ad asperum procesſum* osſis cuneiformis, *alae ſimilem, tendinescat, ſupra quem reflexus tendo fibras dispergit ſupra membranam, ueſtientem* foramina narium; *ubi & coalescere uidetur cum coniuge ſuo, ab altero latere procedente.*

Eleuando illam membranam, glandulas palatinas, quarum tot ingentes acerui ſupra illam adparent, comprimit. Eoque ipſo multum augetur ſaliuae ſecretio, quae tanti certe uſus, maſticationis tempore, pro molliendis duris osſibus, uel aliis eiusmodi, quae communiter deuorat illud animal, ut eo facilius in uentriculo disſolui queant. Quin & (2) *dilatare poteſt tubam EVSTACHIANAM.*

CAPVT XIIX.

MVSCVLI CAPITIS, IN PARTE ANTICA, VT ET LATERALI COLLI, SITI.

Caput a quovis latere duodecim habet musculos: quorum quinque adparent in nominato situ corporis: ceteri uero, cadauere prono.

§. 84. MASTOIDAEVS.

Origo. 1. EVST. T. 32. in sinistro. 2. EVST. l: c: utrimque.

I. Oritur, (1) tendineus, ac quandoque paullulum carneus, a parte superiore *ossis pectoris*: (2) carneus, a dimidia *clauicula*, ubi illi ossi contigua. (a)

Insertio. 2. EVST. T. 31.

II. Inseritur, (1) forti crassoque tendine, apici, siue parti anteriori *processus mastoidaei* (α): (2) expansione ampla, tendinea, oblique decurrente sursum retrorsumque, reliquo illi processui, ut & uicino *ossi petroso* extrinsecus, prope *suturam*, Λ *Graecorum referentem*.

Actio.

III. Vnus, caput in oppositum latus agit: uterque uero simul agens, caput flectit antrorsum.

In cane ipsi est origo acuta, tendineo-carnea, ab ossis pectoris *superiore parte, unde adscendens abit in crassum uentrem, cum pari suo, in dimidia* asperae arteriae *altitudine, confluentem: post recedunt ab inuicem; quouis, oblique decursu, ad insertionem suam properante, quae du-*

(a) In cadaueribus quibusdam origines, hae duae ab inuicem separari possunt, usque ad dimidium fere musculi: ut ubique expressit EVSTA. in Tabb. suis.

(α) ALBIN. §. 29. 4.

duplex; altera, tendine terete, in marginem cauitatis, quae post meatum auditorium *osseum: altera autem, tenui ac membranaceo, in partem lateralem* ossis occipitis.

§. 85. RECTVS INTERNVS MAIOR.

I. Oritur, tot geminatis tendinibus, ab apicibus anterioribus processuum transuersorum *uertebrarum* colli; tertiae, quartae, quintae ac sextae (α). Inde autem mox fit carneus. (b). *Origo.* EVST. T. 41. F. 13. in sinistro.

II. Inseritur processui anteriori *ossis occipitis*, prope eius coniunctionem cum *osse multiformi*. (β). *Insertio.*

III. Caput flectit antrorsum. *Actio.*

In cane oritur tendineo-carneus a parte anteriore, ac interiore processuum transuersorum omnium colli, primo excepto, ad cuius partem intrinsecam, inter adscendendum ad caput, reflectitur, donec inseratur fossulae, quae in osse occipitis.

§. 86. RECTVS INTERNVS MINOR COVVPE. *Origo.* EVST. T. 41. F. 8. 13. COVVP. F. 3. 1.

I. Oritur, carneus, a parte anteriore corporis primae *uertebrae colli*. (α)

II. Inseritur, prope radicem tuberis *occipitis* (β), sub praecedenti (§. 85.) *Insertio.* EVST. l: c:

III. Caput inclinat antrorsum. *Actio.*

§. 87. RECTVS LATERALIS FALLOP. *Origo.* EVST. T. 41. F. 8: 13.

I. Oritur carneus, a processu transuerso pri-

(α) ALBIN. §. 138.
(β) ALBIN. §. 22: 4.
(b) Incumbit *musculo longo colli.*
(α) ALBIN. §. 125. 6. *extrinsecus.*
(β) Idem §. 23.

primae *uertebrae ceruicis.* (γ) (c).

Insertio. EVST. l. c. II. Inferitur, cum *osfi occipitis*, tum *temporis*, prope *procesfum mammillarem.* (δ) (d)

Actio. III. Caput inclinat, uel flectit paullulum in unum latus.

§. 88. MVSCVLVS, CAPVT CONCVTIENS.

Origo. I. Oritur, carneus, a procesfibus obliquis *colli uertebrarum*, fecundae ac tertiae (ε); inde adfcendit *oblique* retrorfum. (f)

Insertio. II. Inferitur prope radicem procesfus transuerfi primae *uertebrae.*

Actio. III. Caput concutit. Prima enim *uertebra*, ope huius musculi, mota in unum latus, motum illum necesfario fequetur caput, uertebrae illi per articulationem connexum.

In cane adhuc longe clarius adparet. In eo enim oritur (ι) *duobus carneis capitibus, ab antica procesfuum obliquorum* uertebrae colli *fecundae: & tertio, a uertebra tertia: post ex illis originibus conuergentibus unus oblique adfcendit musculus, transuerfo uertebrae primae procesfui, inter* leuatorem fcapulae maiorem, & obliquum inferiorem *infixus.*

(γ) ALBIN. §. 138. 6.

(c) Nonnihil fupra foramen uaforum uertebralium; prout eleganter habet EVST. T. XLI. F. XIII.

(δ) ALBIN. §. 21. 7.

(d) Margini foraminis, *uenas iugulares internas* permittentis. Et in EVST. figuris citatis id adparet quam optume.

(e) Aliis *inter transuerfariorum musculorum* primus habetur.

(ι) ALBIN. §. 128.

(f) Cohaeret aliquando cum *leuatore fcapulae.*

CAPVT XIX.

MVSCVLI COLLI, IN ANTICA EIVS PARTE COLLOCATI.

§. 89. Collum, a quouis latere, sex adcepit musculos in *communes* & *proprios* distinguendos. Illi tantum inseruiunt colli *uertebris* mouendis: suntque *interspinales*, *intertransuersales*, & *interuertebrales*: hi autem tam caput, quam collum mouent. Illorum tamen omnium non, nisi unum par, conspici potest in hoc cadaueris situ.

§. 90. LONGVS.

I. Oritur, tendineo-carneus, a corporibus *uertebrarum* quatuor, uel quinque, superiorum *dorsi*, a latere. (α) *Origo.*

II. Inseritur parti anteriori quatuor imarum *uertebrarum* colli, tot paruis tendinibus, supra eas carne tectis: tum *uertebrae* tertiae, tendine paruo: secundae longo, largoque, primae, magis terete angustiore, ac utrimque carneo (a): ut & quibusdam processibus transuersis colli prope eorum radices, totidem paruis tendinibus. *Insertio.* EVST. 41. F. 13. in dextro.

III. Collum in unum latus flectit unus: uterque autem id directe antrorsum agit. *Actio.*

In cane uidetur quasi in tot distinctos, ope linearum tendinearum diuisus musculos, quot ipsi sunt uertebrae *colli.*

(α) ALBIN. §. 122.

(a) Duplex fibrarum est decursus: nam & duplex insertio; id quod adcuratissime habet EVST: l. c:, ubi unus, idemque musculus, in duos quasi diuisus, adparet. A latere succumbit *recto interno* (§. 85.), quod uideri potest in sinistro eiusdem figurae latere.

§. 91. *Scaleni* ad *thoracem* sunt referendi.

CAPVT XX.

MVSCVLI MAXILLAE INFERIORIS.

§. 92. Maxilla inferior mouetur a quinque propriorum musculorum paribus, unoque, ipsi cum gena, aliisque, communi: nempe *quadrato genae*, qui πλατυσμα μυωιδες GALENO; iam descripto (§. 43.)

§. 93. TEMPORALIS.

Origo. EVST. T. 33. I. Oritur, principiis carneis, (1) ab anteriore ac inferiore parte ossis uerticis, a latere: (2) a tota *parte squamosa* ossis temporum: (3) a tuberculo, quod in parte laterali *ossis frontis*: & a processus eiusdem exteriore parte: (4) a parte *ossis mali*, quae intrinsecus, cum illo processu coit: & (5) a superiore parte processus lateralis ossis *multiformis*. (α) Musculum huncce inuoluit membrana tendinea singularis, quae, ab illis ossibus enata, superiori ac semicirculari musculi huius parti natales suos dat, supraque illam procedens, angustatur, tandemque toti *ossi iugali*, ut & adnexae parti *ossis frontis* inseritur. Musculum hunc, ubi ea agit, deprimit: sicque ipsi robur addit. Illa uero remota, occurrunt perpaucae, tenues ac carneae fibrae, largo, medioque huius musculi tendini, praecise, ubi

(α) ALBIN. §. 71.

ubi sub osse iugali decurrit, (ß) insertae. EVST.
Tendinis huius latus internum, quod ex plu- T. 41. F.
ribus minoribus, arcte unitis, compositum 4.
adparet, uestitur quasi longe pluribus carneis
fibris, ne a duritie uel asperitate subiectorum
ossium offendi possit. Post descendit, tendineus ac carneus, ad bina latera *fulci*, qui in
antica *processus coronoidis.*

II. Inseritur (1), tendineus, illius *processus* *Insertio.*
superiori parti, illum, uaginae instar, includens, ab antica eius parte usque ad ultimum
fere *dentem molarem*: (2) *processus* dicti parti posticae, usque ad eius collum. (γ)

III. Maxillam inferiorem eleuat. *Actio.*

Plures obseruationes de huius musculi fabrica, una cum aliis, communicabo alias.

In cane est ualde crassus ac ualens: quae tamen eius magnitudo a crassitie originis praecipue dependet. Oritur carneus a tubere occipitis, ab eminentia, uel spina, quae inter bina ossa uerticis, & aliquantum ab osse frontis, adhaerescens ligamento cartilagineo, quod superiorem orbitae partem, ubi os dehiscit, defendit.

§. 94. MASSITER.

I. Oritur, tribus capitibus, carneis ac ten- *Origo.*
dineis, in diuersa abeuntibus. EVST.
Primum procedit ab *osse maxillari*, ubi T. 28. 32.
ossi mali iungitur (α), & ab omni margine 41. F. 1. 3.
ultimo memorati ossis, qui malam genae
constituit. (β)

Secundum uenit ab ossis mali processu, ut

 &

(ß) ALBIN. §. 93. 11. 12.
(γ) ALBIN. §. 110. 5.
(α) ALBIN. §. 79. 3.
(β) ALBIN. §. 93. 6. 7.

& anteriore parte *processus ossis squamosi.* (γ) Fibrae horum capitum sese decussant. (a) Tertium descendit ab omni interno *ossis iugalis* margine, facillime a prioribus separandum.

Insertio. EVST. l: c: II. Priora duo capita inseruntur parti inferiori externaeque maxillae inferioris, ab angulo eius usque ad eius fere medium: Tertium finit, tendineo-carneum, in omne exterius latus *processus coronoidis*, ut & maxillae inferioris ceruicem.

Actio. III. Maxillam eleuat: eamdemque, ope descriptae decussationis, retrorsum antrorsumque mouet, ut eo melior fiat masticatio, alimentorumque contritio. (b)

In cane nascitur a maxuma parte ossis iugalis; *&, forti tendine, a tubere, quod in* superiore maxilla, *paullulum supra* dentem molarem *penultimum. Et inferitur processui aspero, qui in angulo inferioris maxillae, infra condylum eius.*

§. 95. DIGASTRICVS.

Origo. EVST. T. 32. 35. I. Oritur, tendineo-carneus, a lateribus ingentis *sulci*, exsculpti ad radicem processus *mammillaris*, intrinsecus. (c) (α). Tendo huius medius pertransit nonnumquam *stiloyoidaeum* (§. 53. NB.); semper autem ligamen-

(γ) ALBIN. §. 29. 1.

(a) Fibrae exteriores oblique retrorsum feruntur: uti ubique habet EVST.: inferiores autem oblique antrorsum.

(b) Ab hoc pendet enormis illa uis, quam, inter mordendum, exercent uoracissima animalia quaeque: qui & gibbum illorum dependens os efficit.

(α) ALBIN. §. 29. 4.

(c) Errat VESAL: igitur, dum a *processu stiliformi* scribit

mentum, ab *osse yoidis* procedens, (d) cui ossi, praeter ea, fibris tendineis adligatus est.

II. Inseritur, tendineus & carneus, margini inferioris maxillae, prope eius *commissuram*, supra *mylo-yoidaeum* (§. 51. I.) (e). *Insertio.* EVST. l: c:

III. Vterque, maxillam inferiorem deorsum ducit, adiutus *latissimo colli* (§. 43. III.) (f); unus autem illam mouet extrorsum, in unum latus. *Actio.*

In cane tantum unus ipsi uenter. Est nempe totus crassus largusque, oriundus carneus, fibris tendineis interspersis, ab processu acuto osseo, inter processum mammillarem & occipitis *tuber medio; insertus amplus circa* maxillae *medium.*

§. 96. PTERIGOIDAEVS INTERNVS. (g)

I. Oritur (1) tendineus ac carneus, ab interiore ac superiore parte alae maxumae processus *aliformis* (α), omne medium spatium inter binas alas tenens: (2) ab parte *ossis palati*, illis *alis* interposita. (β) *Origo.* EVST. T. 41. F. 13. *in dextro.*

II.

(d) Inde determinatur eius actio: alias enim tantum capita illius maxillae ualide in finus illos egisset. Elegantia habet COVVP.

(e) Notat VVINSL:, prope insertionem suam, illos nonnumquam sibi mutuo dare fasciculos, qui sese decussent.

(f) Firmata uero per adductores suos maxilla, os yoidis, ipsique nexa, adtollit: sicque agit in deglutitione: hinc deglutientibus os clausum: ut eleganter ratiocinatur VVINSLOVV.

(g) Aliis, ab actione uocatur *massiter internus*; VESALIO uero *in ore latitans*. Est autem situ exterior: sequens autem est interior. Ab origine uero illa *externi* & *interni* dicuntur.

(α) ALBIN. §. 37. 5.

(β) ALBIN. §. 90. 3.

Insertio. EVST. l. c. II. Inseritur inferiori parti maxillae inferioris, prope huius angulum intrinsecus.

Actio. III. Vnus, maxillam in unum latus agit: uterque uero, simul contractus, iuuat temporalem (§. 93. III.)

§. 97. PTERIGOIDAEVS EXTERNUS FALLOP.

Origo. EVST. T. 41. F. 83. I. Oritur, duplici, distinctoque principio, (1) tendineo-carneus, a margine alae externae siue largissimae *processus pterigoidis*, ut & a parte *ossis maxillaris*, illi connexa: (2) carneus, a duabus, uel tribus asperitatibus in processu laterali *ossis multiformis* (α), prope foramen, transmittens uasa sanguinea, aliaque, ad oculum; ut & a portione ossis squamosi, prope sinum (β), qui maxillae capitulum excipit.

Insertio. EVST. l. c. II. Inseritur sinui, qui in collo *processus condyloidis* intrinsecus. Fibrae autem quaedam eius suprascandunt membranam, quae cartilaginem mobilem illi ossi adnectit. (γ). Quin & adcipit illa cartilago fibras quasdam carneas a *temporale* (§. 94.), ac *massitere* (§. 94.)

Actio. III. Maxillam inferiorem; ut & superioris dentes, protrudit antrorsum.

§. 98. *Quum uterque musculus* (§. 96. 97.) *in cane ab eodem* processus aliformis *latere oriatur, a diuersa eorum magnitudine, priorem* (§. 96.) *dicam* maiorem; *posteriorem* (§. 97.) *uero* minorem.

(α) ALBIN. §. 51. 52.
(β) ALBIN. §. 30. 1.
(γ) ALB. §. 30.

CAPVT XXI.

MVSCVLI THORACIS, IN ANTICA HVIVS PARTE CONSPICVI, CORPORE SVPINO.

§. 99. Respiratio perficitur alterna caui *thoracis* dilatatione, alternaque eius contractione. Duplicem hunc tam necesſarium motum edunt praecipue tredecim musculorum paria. Nonnulli horum costas ſurſum, extrorſumque ducendo, in inſpiratione, pro admittendo intra pulmones ſpiritu, augent capacitatem thoracis: alii illam minuunt, deprimendo costas, pro expellendo e pulmonibus aëre alii tandem utrique fini ſuccurrunt; ut *diaphragma*. Musculi uero illi omnes uel *thoraci* ſoli proprii, uel ipſi cum aliis partibus communes ſunt. Ita *ſerrati antici* mouent quoque *ſcapulas*; *ſacrolumbi* extendunt dorſum; & *ſcaleni* collum agunt ſcapulam, ſiue, primam costam uerſus.

§. 104. SCALENVS.

Hic in quatuor distinctos musculos diuidi po eſt.

I. Primus, hoc eſt, gulae proximus, oritur tendineus a proceſſibus transuersis colli, quarto, quinto & ſexto. *Orig.*

II. Inſeritur, tendineo-carneus, lateri ſuperiori primae costae, prope eius cartilaginem. *Inſertio.* EVST. T. 38.

I. Secundus exit e proceſſibus transuerſis colli; ſecundo, tertio, quarto, quinto ac ſexto; totidem tendinibus. *Orig.* EVST. T. 38. 39. F. 1.

II.

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur costae primae; fibrae tamen quaedam eius supra *scalenum* quartum disperguntur.

Origo. I. Tertius oritur a processibus transuersis ceruicis, quinto ac sexto.

Insertio. EVST. T. 37. 39. F. 1. II. Inseritur margini superiori costae secundae.

Origo. I. Quartus procedit a duobus infimis colli transuersis processibus.

Insertio. II. Inseritur costae primae, prope huius articulationem cum *uertebra*.

Actio. III. Omnes, costas eleuando, thoracem augent. (b)

Musculi hi in cane differunt ab humanis, tam numero, quam insertione. Tres enim tantum horum habet: primusque eorum, siue, omnium maxume internus, inseritur costae primae: secundus, siue medius, qui largus, carneus ac tenuis, quintae, siue sextae, costae, si deorsum uersus numeraueris.

§. 101. *Quod GALENVS, VESALIVS, & ceteri, habuere pro superiore parte uel insertione* recti abdominis (§. 5.) *in simiis, canibus, aliisque; id detexi uerum esse musculum, oriundum carneum, a costa prima, qui, postea tendinescens, inseratur* ossi pectoris, *sub* recti *tendine, fibris horum sese decussantibus. Hunc uoco MVSCVLVM, IN SVMMO THORACE SITVM.*

§. 102. SVBCLAVIVS.

I. O-

(b) Tumque ceruix per alios musculos firmata sit, necessum est: collum potius uarie flectunt: id enim primis duabus costis longe mobilius est.

I. Oritur (1) tendineus, a *clauicula* (α), praecise ad eius connexionem cum *scapulae processu coracoide*, inter duo ligamenta, ab illo processu ad clauiculam euntia, medius: (2) a radice dicti *processus* (β), firmissime adhaerens ligamento, inter hunc *clauiculamque*, medio. Tum illico fit carneus, adhaerescitque toti inferiori parti clauiculae, ad cuius extremitatem declinat oblique, fitque tendineus *Origo.* EVST. T. 32. & 35.

II. Inseritur in superiorem partem primae costae, prope ligamentum, illi connectens clauiculam. *Insertio.* EVST. l: c:

III. Eleuat costam primam. (b) *Actio.*
Hunc canis non habet.

§. 103. INTERCOSTALES.

I. Oriuntur a margine inferiore cuiusuis costae superioris: (c) *Origo.* EVST. T. 24. 33.

II. Inseruntur margini superiori cuiusuis costae inferioris. *Insertio.* EVST. l: c:

Hoc est; EXTERNI procedunt oblique, a parte postica antrorsum: INTERNI a parte anteriore posteriora uersus; ut ita horum fibrae se mutuo intersecent, litterae X instar. (d)

III.

(α) ALBIN. §. 264.
(β) ALBIN. §. 260. 2.
(b) Illa uero clauicula longe fixior; cur ergo non hanc potius paullulum deprimet? Falso ergo ille musculus quibusdam & habetur, & dicitur, *intercostalis primus.* Si uero costae illi ab actione eius aliquis usus, illam sane figet in profunda inspiratione. Sed & efficit idem, ne connexa illi omoplata cum brachio nimis retrorsum agatur. Hoc enim contingit illico, musculo illo dissecto. Vid. in primis SPIGEL. L. IIII. C. IX.
(c) Et aliquando ab ipso costae latere.
(d) *Externi* non pertingunt ad *os pectoris* usque; ibi ergo soli *interni* conspiciuntur. V. EVST. l: c:

Actio. III. Hi omnes ampliant thoracis cauum. (e)

§. 104. TRIANGVLARIS.

Origo. BIDLOO T. 26. F. 1 BB. I. Oritur carneus, ac paullulum tendineus, a tota longitudine *cartilaginis ensiformis*, lateraliter: ut & a margine inferioris partis *ossis pectoris*: unde fibrae eius adscendunt oblique sursum atque extrorsum.

Insertio. II. Inseritur cartilaginibus costarum uerarum, quintae, quartae ac tertiae, prope earum coalitiones cum ossibus.

Actio. III. Deprimendo costarum illarum cartilagines, *thoracis* cauitatem contrahit.

In cane musculus hic longe amplior est, quam in homine; nam & simile uero, musculos hosce promouere plurimum excretionem seri superflui de sanguine huius animalis; quod in homine exportatur per ductus excretorios glandularum miliarium cutis, quibus destituitur canis: uidemus enim, cani defesso, siue, cui ductus sanguinis motus, ubi iacet, uel, currit, exserta lingua, ac respiratione, quam profundissima, multum excerni saliuae.

§. 105. DIAPHRAGMA (f).

Duo

(e) Dignum memoratu arbitror, *intercostales*, agentes, contra omnium musculorum genium, non fieri breuiores, sed longiores potius: idque ualere praecipue de iis, qui inter costas leuandas, hoc est, inferiores collocati. Si enim costae, ubi leuantur parallelismum ubique seruant; necessum est absolute, musculi intercostalis originem remoueri aliquantum ab insertione. Id debemus HAMBERGERO, *Ienensi*: quod demonstrat singulari machina, eum in finem constructa. Demonstratumque in *Actor: Erudit:* T. I. *suppl:*; *internos* in *inspiratione* agere id, quod in *exspiratione interni*: & contra.

(f) De hoc solus bene scripsit C. BARTHOLINVS, post

Duo id componunt musculi,

Superiori origo duplex carnea, ab extremitate *cartilaginis ensiformis* lateraliter, a parte cartilaginis costae septimae; a margine inferiore cartilaginum costarum notharum omnium, & ultimae parte ossea. Omnes inde enatae fibrae feruntur recta deorsum; a costis uero prodeuntes, uadunt oblique introrsum. *Origo.* VESAL. L. 2. T. 7.

Inferioris uero origo est, in quouis latere, quadruplex: Oritur nempe (1) carneus, a latere *uertebrae* primae lumborum: (2) tendineus, a parte anteriore *uertebrarum*, secundae, tertiae, & quartae quandoque. Tendo huius, uix, ac ne uix quidem, separari potest a parte quadam sui paris ab altero latere: (3) tendineo-carneus a latere *uertebrae* secundae, & persaepe adhuc a tertia, & singulatim quidem in uno latere: (4) tendine tenui, a radice processus transuersi secundae *lumborum uertebrae.* Hanc inter originem, & ultimam costam, adscendit *triangularis* (§. 104.). Origines descriptae confluunt in tendinem medium. Hoc iam *diaphragma* in parte tendinea perforatum est ab *uena caua* inferiore: inque carnea superioris musculi, a descendente *stomacho*, & *pari uago.* In interuallo, quod inter duas adpendices tendineas, uti eas adpellant, descendit arteria magna, & adscendit *ductus thoracicus* ab *receptaculo chyli.* Adparet quoque fissura, illos inter tendines cuiusuis lateris, & primae *uertebrae lumborum* *Origo.*

post STENONEM. Bona uero eius figura adhuc nullibi: quae uero & difficillima; nam nec ulla habetur a parte, quae thoracem uersus.

corpus lateraliter, per quam descendunt *nerui intercostales*, adscenditque, in latere dextro, *uena sine pari*, e *uena caua*, infra *emulgentem*, enata. Tandem, inter adhaesionem ad latus memoratae *uertebrae*, eiusque processum transuersum, occurrit arcus species, munita margine tendineo, sub quo pars superior musculi ψοας, proueniens ab ultima *uertebra dorsi*; & tendo *quadrati lumborum*, ad insertionem suam properans.

Actio In inspiratione, superior eius superficies, contracta, fit planior: inde ergo cauum *thoraci* maius, pro explicandis facilius ab aëre pulmonibus, comprimendisque *uisceribus abdominis*, quo chylus propelleretur &c. In exspiratione autem superficies eius, thoracem uersus, fit conuexa; inde imminutus thorax spiritum expellit foras.

In cane inferior diaphragmatis *musculus oritur quatuor tendinibus, duobus paruis, & totidem longis.*

§. 106. COSTARVM DEPRESSORES PROPRII COVVPER:

Origo. I. Oriuntur, tendinei, a parte superiore costae, prope eius articulationem cum processu *uertebrae* transuerso. (α).

Insertio. II. Inde abit quisque in largum tenuemque uentrem, qui, adscendens oblique supra costam unam, subiectus *membranae*, *succingenti costas*, inseritur costae, illi superne proximae.

Tales musculi sunt decem, expansi omnes supra internam costarum partem, ab postica usque

(α) ALBIN. §. 171.

usque ad mediam earum fere.

III. Deprimunt costas. *Actio.*

Quum hosce ante aliquod tempus detegeret COVVPER, obseruationem hanc communicauit mihi: inde, ab usu, *depressores costarum proprios* illos nominaui.

CAPVT XXII.

MVSCVLI VESICAE VRINARIAE.

Vesica urinaria duos habet musculos.

§. 107. SPHINCTER. (a)

Hunc constituunt paucae, paruae, orbiculares, carneae, fibrae, quae, externae uesicae membranae succumbentes, collum illius cingunt. De GRAAF T. 11. 10.

§. 108. DETRVSOR VRINAE.

Hic secundam urinariae uesicae membranam format: cui fibrae musculares diuersarum directionum: quae, contractae, aperiunt uesicae collum, urinamque, ingenti ui, exprimunt. EVST. T. 12. F. 7.

(a) De hoc & sequente musculo, euoluatur MORGAG. *epist. Anatom.* I. n. 60. 61.

CAPVT XXIII.

MVSCVLI ANI.

§. 109. Fini *intestini recti*, quem *anum*, siue, *podicem*, uocant, sex prospiciunt musculi; duo nempe paria, *leuatores* dicta; & duo singulares, qui *sphincteres*.

§. 110. LEVATOR MAGNVS, *uel*, INTERNVS.

Origo. EVST. T. 37. I. Oritur, (1) (a) ab *osse pubis*, inter eius commissuram; (α), & cauitatem, quae ipsi cum *osse ischio* communis, medius: (2) a tendine, *marsupiali* incumbente; & (3) ab *ossis ischii* acuto processu (β): quem inter & inferiorem partem *ossis coccygis*, adcreuit *musculo coccygaeo*, eadem cum illo membrana tectus. Ad posteriora *intestini recti* concrescit cum pare suo: sicque ambo illud undique ambiunt, illum si exceperis locum, ubi illi *prostatae* ac bulbus *urethrae* adhaerent. (b)

Insertio. EVST. T. 10. F. 2. 4. T. 37. II. Inferitur *sphincteri uaginali*: pars autem suprema eius firmiter adfixa *ossi coccygis*.

Actio. III. Excrementis eiectis, leuat *anum*; eumque (2) ex parte, claudit: (3) facit, ne illud intestinum nimis delabatur, quod semper contingit, quoties fibrae eius relaxantur in παράλυσι. (c)

Ante,

(a) Haec, & tertia origo, diuersum habent fibrarum decursum, sese post decussantium.

(α) ALBIN. §. 186. 4.

(β) ALBIN. §. 190. 4.

(b) Fibras quoque impertit *prostatae*.

(c) Docet contemplatio, illum uiam aperire egressuris foecibus.

Ante, quam in cane inferatur, in tres, uel quatuor, uidetur diuisus partes, quarum in quouis latere una rectum *adtollit*, caudae *inserta; haec enim, excretione foecum peracta, in illo animali deprimitur.*

§. 111. LEVATOR PARVVS, *siue*, EXTERNVS RIOLA: (d)

I. Oritur, tendineus & carneus, a tubere *ossis ischii* (α). *Origo.*

II Inde decurrit per transuersum, donec inseratur *sphincteri ani interno*, prope *urethrae* bulbum. *Insertio.*

III. Iuuat descriptum (§. 110. III.) *Actio.*

Hic deficit in cane.

§. 112. SPHINCTER EXTERNVS, *uel*, CVTANEVS.

Hic, inter cutem ac pinguedinem situs, cingit *podicem*, ad unius pollicis latitudinem. BIDL. T. 47. F. 2.

§. 113. SPHINCTER INTERNVS, *siue*, VAGINALIS.

Fibrae huius carneae circumeunt inferiorem *recti intestini* finem, ad latitudinem unius circiter pollicis, cohaerentes antrorsum (e) cum *adceleratore urinae* (§. 115.); posterius uero cum *leuatore* (§. 110.). EVST. T. 10. F. 2. 3. T. 36. & praecipue 37.

II. Claudendo *recti* finem, impediunt inuoluntariam *foecum* excretionem. *Actio.*

In cane non necessum fuit, ut fibrae circulares

F 3

(d) Hic quandoque, sed raro, ab uno abest latere.

(α) ALBIN. §. 188.

(e) Illa, antrorsum, trianguli specie, elongata pars, singularis RIOLANO habita est musculus, qui *anterior ani*. LITTRE autem illam dixit *dilatatorem urethrae posticum.*

res per tantam altitudinem cingerent recti *extremitatem*, *ut in homine*; *nam & in illo*, *cuius corpus* horizonti *parallelum*, *non est tanta* foecum aluinarum *presſio*, *neque tantum earum pondus*; *quantum quidem in erecto homine*.

CAPVT XXIIII.

MVSCVLI SCAPVLAE.

§. 114. *Scapulam* agunt tria propriorum musculorum paria, & duo, ipsi cum *thorace* communia, quae faciunt *ferrati antici*.

§. 115. TRAPEZIVS, *uel*, CVCVLLARIS.

Origo. I. Oritur (1) crasſo, breuique tendine, a parte inferiore eminentiae, quae in osſe *occipitis*, posteriora uerſus (α), & gracili membranoſo, *complexum* ac *ſplenium* aliquantum

EVST. T. 29. 31. 34. integente, ab aspera linea, quae ibi loci ab occipite verſus *procesſum mamillarem* extenditur: tum (2) tendineus, a ſpina ultimae colli *uertebrae*, *ſpinisque* omnibus dorſi, binis ultimis exceptis. Ab osſe occipitis usque ad ultimam

EVST. T. 31. *uertebrae colli* ſpinam ita cohaeret pari ſuo alterius lateris, ut ab illo ſeparari nequeat. (a)

GALENVS musculum huncce in duos distinxit; *ſuperiorem* ſcilicet, & *inferriorem*. Illum

(α) ALBIN. §. 21. 4.

(a) Post ſeparati ab inuicem procedunt: mox rurſum, ad ultimam ſuam originem usque, coituri.

Illum dixit *trapeziam*: hunc sequentes Anatomici adpellarunt *cucullam*: unde ambo communiter *cucullares* uocantur.

II. Inseritur (1) carneus, largiori ac posticae *clauiculae* parti: (2) *tendineo* carneus, dimidio *summi humeri*: & (3) aliquantum tendineus, toti fere *spinae scapulae*. (β). *Insertio.* EVST. l: c:

III. Triplex fibrarum directio uarie quoque mouet *scapulam*: rectae enim illam recta retrorsum agunt: oblique descendentes, illam oblique adtollunt: & oblique adscendentes, illam oblique deorsum retrorsumque ducunt. *Actio.*

In cane suprema ipsi origo a toto ligamento colli; *quod infra* leuatoris humeri proprii *originem: pars* uero *eius*, cucullae *similis*, *exit e dorsi* uertebris, *circa illarum medium: series tandem fibrarum*, scapulam *recta retrorsum mouens*, *coit*, *ope tenuis membranae*, *cum suprema huius musculi parte*, *cui trianguli figura.*

Quum canem deficiat clauicula; *eidem neque inferi potuit hic musculus.*

§. 116. ELEVATOR, *uel* MVSCVLVS PATIENTIAE.

I. Oritur, carneus, a processibus transuersis *uertebrarum colli*, primo, secundo, tertio, & quarto nonnumquam, totidem distinctis fasciculis, postea illico coeuntibus. *Origo.* EVST. T. 36. VESAL. T. 12. G.

II. Inseritur carneus *scapulae baseos* parti, inter spinam eius, superioremque angulum, mediae. (α). T. 13. Q. *Insertio.* EVST. T. 29. &. l: c:

III. *Scapulam* sursum ducit, paullulumque antrorsum. (b). *Actio.*

 In

(α) ALBIN. §. 259. 1. 2.
(β) ALBIN. §. 257. 7.
(b) Firmata scapula, collum flectit: & retinet porro scapulam, ne nimis deorsum feratur.

In cane eleuatur ſcapula *a duobus musculis, quorum unus est.*

LEVATOR MAIOR, ſiue, ANTERIOR, oriundus carneus a largo proceſſu transuerſo primae colli uertebrae; *inſertusque in ſuperiorem partem* ſpinae ſcapulae, *prope eius finem, quae in homine* ſummum humerum *constituit.*

Alter, est LEVATOR MINOR, uel, POSTERIOR, oriundus tendineus ab occipite, prope eius ſpinam; qui, angustatus deſcendens ad longam rhomboidis *portionem, inſeritur, tendine exiguo, basi* ſcapulae, *prope eius ſuperiorem angulum.*

§. 117. RHOMBOIDES.

Hunc ſemper reperi diuiſum in duas partes carneas, membrana intermedia coniunctas.

Origo. EVST. T. 34. I. Superior, ſiue, minor, oritur tendineus, ab ultima ſpina colli, & aliquantulum a *ligamento colli*, quod ſupra illam.

Inſertio. EVST. T. 29. & l: c. II. Inſeritur baſi *ſcapulae*, partim ſupra illius *ſpinam*, partim uero, & quidem maxumam partem, infra eamdem.

Origo. I. Inferior autem oritur tendineus a *ſpinis* quatuor uel quinque ſuperiorum *uertebrarum dorſi.*

Inſertio. EVST. l: c. II. Inſeritur toti fere reliquae baſeos *ſcapulae* parti.

Actio. III. *Scapulam* oblique ſurſum ducit, & recta retrorſum.

In cane oritur carneus a toto ligamento colli, *qui, quo mage deſcendit, eo largeſcit magis, donec uniatur parti, uenienti a* dorſi *ſpinis, prope* ſcapulae *angulum ſuperiorem.*

CAPVT XXV.

MVSCVLI THORACIS, ADPARENTES, CADAVERE PRONO.

§. 118. SERRATVS MAIOR ANTICVS. (a)

I. Oritur, carneus, a tota *scapulae* basi intrinsecus (α), inter insertionem *rhomboidis* (§. 117. II.), & originem *subscapularis* medius, complicatus quasi circa duos *scapulae* angulos (β). *Origo.* EVST. T. 36.

II. Inseritur octo costis superioribus, totidem *digitulis* carneis. *Insertio.* EVST. T. 33.

III. Eleuando costas, dilatat *thoracem*: &, secundum quosdam, mouet *scapulam*, cui (uti uolunt) inseritur anterius ac inferne. *Actio.*

In cane oritur carneus, a quinque inferioribus processibus transuersis uertebrarum colli, *totidem diuersis capitibus, & tendineo-carneus, a septem superioribus costis. Series fibrarum prima, uel summa, descendit oblique ad insertionem suam in* basin scapulae, *intrinsecus. Secunda, a costis orta, adscendit oblique, inseriturque haud tantum* basi scapulae; *sed &, uastus carneusque,* concauae *illius parti. Hic singulares cani* scapulae *motus efficit, pro uario fibrarum decursu; quin & cauet, ne scapula*

(a) Varia de eius fabrica & actione, eaque plane singularia narrat VVINSL. in *actis Paris.*; diuidit eum scilicet in tres musculos: unum medium, paruum: duosque, longe maiores, extremos.

(α) ALBIN. §. 256.

(β) ALB. §. 257. 6. 7.

pula exsiliat, uel eleuetur nimis, animali illo stante, uel currente.

§. 119. SERRATVS MINOR ANTICVS. (b)

Origo. EVST. T. 32. 35. I. Oritur, tendineus, a *procesfu coracoide scapulae* (α), inde autem mox fit carneus ac largior.

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur, tendineo-carneus, marginibus inferioribus costarum osfearum, tertiae, quartae quintaeque. (c).

Actio. III. Vel succurrit praecedenti (§. 118. III.); uel mouet *scapulam* antrorsum.

Hic deficit in cane.

§. 120. SERRATVS SVPERIOR POSTICVS.

Origo. EVST. T. 36. I. Oritur, tendine largo tenuique, a parte inferiore *ligamenti colli*, uel potius, ab unione tendinea *spleniorum*: (2) ab procesfu acuto ultimae *colli uertebrae* (α), ac duobus, uel tribus, supremarum dorsi (d) (β).

Insertio. VES. T. 11. F. II. Inseritur costis, secundae, tertiae & quartae; totidem singularibus fasciculis carneis.

Actio. III. Eleuando costas, extendit *thoracem*.

§. 121. SERRATVS INFERIOR POSTICVS.

Origo. EVST. T. 36. I. Oritur, tendine lato & gracili, a spinis duarum inferiorum *uertebrarum* dorsi (α), tot-

() Gallis uocatur, lingua sua, *pectoralis minor*.

(α) ALBIN. §. 260.

(c) Inseritur nonnumquam *dentatus*: uti hanc diuersitatem quoque docuit EVST. l: c:

(α) ALBIN. §. 133. 1.

(d) Vbi descendit, in medio multum tendinescit: quia in praelo quasi collocatus.

(β) ALBIN. §. 132. 6.

(α) ALBIN. §. 132. 1. 2.

totidemque, uel pluribus, superiorum lumborum (e).

II. Inferitur, carneus, marginibus inferioribus costarum trium, uel quatuor, inferiorum, raro tamen ultimae. Infertio uero haec ita ab *obliquo* (§. 1.) remota, ut fines utriusque musculi per indentationem sibi immitti nequeant. *Infertio.* EVST. l: c:

III. Costas, quibus inferitur, deprimit: uel, ad minimum, motum illarum deorsum uersus adcelerat. *Actio.*

§. 122. Prior (§. 120.) *in cane oritur, tendine tenui, a parte inferiore* ligamenti colli, *eiusque extremo processu acuto: ut & ab octo superioribus processibus dorsi; insertus nouem supremis costis, prima tamen excepta, totidem distinctis* digitulis *carneis. Tendo eius coit cum tendine* posterioris (§. 121.); *sicque constituunt, ut sic loquar, fortem, tendineam fasciam, quae, subiectos musculos in situ continens, eorum uim in immensum auget.*

§. 123. SACROLVMBALIS.

I. Oritur, eadem cum *longissimo dorsi* origine, extrorsum tendineus, introrsum carneus, (1) a singulis supremis *spinis ossis sacri* (α), (2) a posteriore parte *spinae ilium* (β), (3) a *spinosis processibus* inferiorum *uertebrarum lumborum* (γ), & (4) ab illarum transuersis: pone radices eorum. (δ). *Origo* EVST. T. 36.

II.

(β) IDEM §. 131.

(e) Originem ibi eamdem habet cum *latissimo dorsi*: huius tendo est exterior. *serrati* uero musculi interior: quod obseruauit EVST. l: c.

(α) ALBIN. §. 143. 2. (β) *Idem* §. 191. 6.

(γ) *Idem* §. 131. (δ) *Idem* §. 136.

Insertio. VES. T. 31. Q. II. Inseritur, totidem longis tenuibusque tendinibus, quot sunt costae: & quidem singulo quoque, tertiae costae parti, ubi iam incuruari incipit, & altius, quam ubi a musculo hoc secedit. Tendo tamen supremus, qui & ultimus, finit in processum transuersum imae *uertebrae ceruicis*. (f).

Actio. III. Deprimit costas.

§. 124. A superiore parte sex uel septem costarum inferiorum procedunt totidem parui, tenuium tendinearum, carnearumque fibrarum fasciculi, qui, paullulum progressi (g), inseruntur interno *sacrolumbalis* (§. 123.) lateri. Hos dixit STENONIS MVSCVLOS, AD SACROLVMBVM ADCESSORIOS.

§. 125. CERVICALIS DESCENDENS DIEMERBR: (h). p. 457.

Origo. I. Oritur, carneus, a processibus transuersis *uertebrarum colli*, tertio, quarto, quinto & sexto.

Insertio. II. Inseritur costis, tertiae, quartae, quintae, sextae ac septimae (i), *sacrolumbalem* (§. 123.) inter ac *longissimum dorsi*.

Actio. III. In inspiratione, leuat costas.

§. 126. LEVATORES COSTARVM STENON: (l)

Hosce

(f) Tendines illos SPIGEL: *ansas* uocauit: suntque tales tredecim.

(g) *Sacrolumbalis* tendines (§. 123. II.) decussant in formam litterae X.

(h) Hunc plerique *sacrolumbalis* (§. 123.) partem habent.

(i) Collum potius flectit, illis costis longe mobilius: ut ergo potius a costis oriatur, & uertebris illis inferatur.

(l) *Intercostalibus* (§. 103.) illos adcensent alii.

Hosce *proprios* adpello, ut distinguantur a ceteris musculis, idem officium exsequentibus.

I. Oriuntur, tendinei ac carnei, a processibus transuersis *uertebrarum* dorsi (α). Inde feruntur oblique antrorsum, moxque. *Origo.*

II. Inferuntur lateri superiori costarum omnium, prima excepta. *Insertio.*

III. Leuant costas, thoracemque ampliant: idque agunt omnium maxume: quum processus *uertebrarum* ipsis sint tot *hypomochlia*. *Actio.*

(α) ALBIN. §. 137.

CAPVT XXVI.

MVSCVLI CAPITIS, CONSPICVI, CADAVERE PRONO.

§. 127. SPLENIVS. (a).

I. Oritur permultis, longis ac tenuibus tendinibus, a quinque superioribus spinis *uertebrarum* dorsi (α), &, tendineus carneusque, ab ultima colli (β), totusque tendineus a *colli ligamento*; uel potius, tendines utriusque huius musculi uniuntur ibi inseparabiliter; ad secundam uero circiter colli *uertebram* secedunt ab inuicem, ut subiecti musculi pars quaedam uideri possit. *Origo.* EVST. T. 37. in sinistro. EVST. T. 31.

II.

(a) Hoc titulo, duos musculos descripsit *Auctor*, quorum alter *capitis splenius* uocatur; alter *ceruicis*: duosque delineauit EVSTACHIVS: ut adparet e citationibus.

(α) ALBIN. §. 132. 5. 6, (β) IDEM §. 133. 1.

Insertio. EVST. T: 29. II. Inseritur, tendine simplici, processui transuerso *uertebrae colli* secundae (γ): &, duplici plerumque, eiusmodi processui primae (δ): & tendineo-carneus inferiori anteriorique parti *processus mammillaris* (ε): unde retrorsum fertur uersus *occiput*.

Actio. III. Caput uersus posteriora ducit in latus unus: uterque uero, simul contractus, caput recta retroagit.

In cane inseritur in processum transuersum uertebrae colli *primae, inque partem posticam lateralemque* ossis occipitis. *A parte postica intime coniungitur cum suo pari alterius lateris, ab processu aspero ultimae* uertebrae colli *usque ad* occiput, *unde ab iis descendit tenuis pellucensque membrana ad omne* ligamentum colli.

§. 128. TRACHELO MASTOIDAEVS; *siue*, PAR TERTIVM FALLOP. (b).

Origo. EVST. T. 30. in sinistro. I. Oritur a processibus transuersis *uertebrarum dorsi*, primae ac secundae (α), & a tribus uel quatuor imarum colli (β), totidem tendinibus tenuibus, qui, uniti, sat crassum uentrem formant, adscendentem sub *splen i* (§ 127.)

Insertio. EVST. T. 37. l: c: II. Inseritur, tendine tenui, medio partis posterioris *processus mammillaris.* (γ)

III. Iuuat *complexum.*

Actio. Persaepe adcipit fasciculum carneum, aliquan-

(γ) ALB. §. 138. 5.
(δ) IDEM l: c: 6. (ε) IDEM §. 29. 4.
(b) Hunc *lusum naturae* putat COVVP. p. 119.
(α) ALBIN. §. 137. 4. 5.
(β) IDEM §. 138. 1. 4. (γ) *Idem* §. 29. 4

quantum teretem, a longisſimo dorſi.

In cane, ubi ad occiput *finitur, ſic unitur cum tendine* ſplenii (§. 127.), *ut ab eo ſeparari nequeat.*

§. 129. COMPLEXVS.

I. Oritur, tendineus & carneus, a ſex uel ſeptem ſuperioribus proceſſibus transuerſis uertebrarum *dorſi* (c), omnibusque iis colli, totidem distinctis originibus; primae tamen excepto (β); quin & uidetur, nasci cum aliquo modo ab obliquis *colli* proceſſibus (γ). Vbi adſcendit, adhaeret ſpinae *ultimae colli uertebre* (δ), ut & ligamento, ab illa ad ſecundam eunte, ibique, pari ſuo lateris alterius relicto, decurrit oblique antrorſum ad inſertionem ſuam. (c) *Orig.* EVST. T. 37. 39.

II. Inſeritur, carneus, *osſis occipitis*, inter ſuperiorem partem *obliqui ſuperioris* & marginem protuberantiae, quae in medio illius osſis, medius. (α) *Inſertio.* EVST. l: c:

III. Vnus agens, caput paullulum inclinat in latus: uterque uero, caput extendit, uel recta retro mouet. *Actio.*

In cane oritur a quatuor ſuperioribus proceſſibus transuerſis dorſi, totidem tenuibus paruisque tendinibus; ut & a quinque inferioribus colli, totidem diuerſis capitibus, ſerrati (§. 119.) digitulos *referentibus. Hae cunctae origines confluunt in largum uentrem, qui in tendinem, parti laterali* occipitis, pro-

(α) ALBIN. §. 137. 4. 6. (β) *Idem* §. 138. 1-5.
(γ) *Idem* §. 128. 2-4. (δ) *Idem* §. 133. 1.
(c) In adſcenſu ſuo tendineſcit hinc inde: quod & notauit EVST. l; c:
(α) ALBIN. §. 21. 1.

prope eius tuberculum insertum, *desinit.*

§. 130. RECTVS MAIOR.

Origo. EVST. T. 39. I. Oritur, carneus, ab una *spinarum uertebrae* secundae colli (α): inde, inter adscendendum, fit largior; adscendit autem non recta, sed oblique, extrorsum; in duas quasi tenues portiones diuisus: quarum

Insertio. EVST. l: c: II. Intima inseritur *occipiti*, prope *rectum lateralem*; altera uero, eademque largior, finit, tendinea ac carnea, in idem os, sub *obliqui maioris* parte.

Actio. III. Caput extendit, uel mouet posteriora uersus.

Hic in cane est duplex: prior, siue RECTVS MAIOR, procedit ab inferiore parte illius processus: posterior, qui mihi RECTVS MEDIVS, ab superiore eiusdem spinae parte exit.

§. 131. RECTVS MINOR.

Origo. EVST. l: c: I. Oritur, pari suo arctissime adpressus, angusto initio, a tuberculo, quod in medio posticae partis primae *colli uertebrae.* (α)

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur sat largus lateribus sinus, qui in *occipitis osse*, ad magnum illius *foramen* (β). Latus eius internum tegit alter *rectus.* (§. 130).

Actio. III. Iuuat descriptum (§. 130. III.), in concutiendo caput posteriora uersus.

§. 132. OBLIQVVS SVPERIOR.

Origo. EVST. l: c: I. Oritur a processu transuerso primae colli *uertebrae.* (α.)

II.

(α) ALBIN. §. 133. 4.
(α) ALBIN. §. 135.
(β) ALBIN. §. 21. 4.
(α) ALBIN. §. 138. 6.

II. Inferitur, tendineus ac carneus, *ossibus*, *petroso* ac *occipitis*, inter posticam *processus mammillaris* partem (β), & *complexum* (§. 129.), medius. *Insertio.* EVST. l: c:

III. Mouet caput oblique, uel, per semicirculum. *Actio.*

Hic in cane praeterea est duplex: alter enim musculus oritur carneus ab extremitate processus transuersi primae colli uertebrae; *alter uero ab toto superiore margine eiusdem processus: uterque uero coire uidetur circa insertionem suam in occiput.*

§. 133. OBLIQVVS INFERIOR.

I. Oritur carneus a secundae *colli uertebrae* spina (α), & parte quadam corporis eiusdem, uicina illi processui (β). *Origo.* EVST. l: c:

II. Inferitur primae processui transuerso. (γ). *Insertio.* EVST. l: c:

III. Idem agit, quod praecedens (§. 132. III.) *Actio.*

In cane oritur a margine longi processus spinosi secundae colli uertebrae.

(β) ALBIN. §. 29. 3.
(α) ALBIN. §. 133. 4.
(β) *Idem* §. 124.
(γ) ALBIN. §. 138. 6.

CAPVT XXVII.

MVSCVLI COLLI POSTERIORES.

§. 134. SPINALIS.

Origo. EVST. l: c. *in dextro.* I. Oritur, copiosis tendineis carneisque fibris, a superioribus quinque transuersis processibus *uertebrarum* dorsi (α). Inde adscendit obliquus, sub *complexo* (§. 129.)

Insertio. *Idem* l: c: II. Inseritur colli spinis, quintae, quartae, tertiae ac secundae (β), totidem paruis tendinibus.

Actio. III. Collum extendit, id mouendo recta retrorsum.

In cane maiori iure nomen suum tuetur hic musculus, comes quippe omnium colli spinarum; oritur enim ibi ab apice primae dorsi spinae, rectaque transit ad illum secundae colli uertebrae *processum, firmiter adhaerens lateribus processuum omnium intermediorum spinosorum.*

§. 135. TRANSVERSALIS.

Origo. C: BARTHOL. in *specim b: a:* T. 4. F. 3. & 4. COVVP. F. 8. K. I. Oritur, tendineus ac carneus, partim a processibus obliquis quatuor inferiorum *uertebrarum* colli (α); partim a spatio, inter illos processus atque transuersos medio (β). Est uero tantum continuatio fibrarum muscularium, dorsi musculos cognomines constituentium.

Insertio. II. Inseritur ad radices superiorum *spinarum* colli (γ); suprema uero insertio non est tantum

(α) ALBIN. §. 137. 4. 6.
(β) ALBIN. §. 133. 3. 4.
(α) ALBIN. §. 128. 3.
(β) ALBIN. §. 140. 4.
(γ) ALBIN. §. 133. 1-3.

tum in secundae *uertebrae spinam*, sed & in eiusdem corpus, a latere (δ).

III. Vterque, collum mouet recta retrorsum: unus uero, oblique retrorsum. *Actio.*

In cane inseritur corporibus uertebrarum *colli.*

§. 136. INTERSPINALES COVVPE: p. 110.

I. Oriuntur, carnei, a superiore parte cuiusuis duplicis spinae colli; primo excepto (α), ab ipso primae *uertebrae* corpore oriundo (a) (β). *Origo.* COVVP. F. 8. LL.

II. Inferuntur inferiori parti dictarum *spinarum* omnium. *Insertio.*

III. Acutos illos processus adducunt ad inuicem. *Actio.*

§. 137. INTERTRANSVERSALES COVVPE:

I. Distantiam inter processus transuersos *uertebrarum* colli, maxumam partem bifidos, explet substantia carnea, ab inferiore processu oriunda, insertaque superiori. (α). *Origo.* *Insertio.*

II. Hi transuersos illos processus adducunt ad inuicem. *Actio.*

§. 138. INTERVERTEBRALES. *** (b)

I. Oriuntur a corpore unius uertebrae, a latere. (α). *Origo.*

 II.

(δ) *Idem* §. 124.
(α) ALBIN. §. 133. 2. 4
(a) Saepe uero uertebra quaedam caret tali musculo: ita, ut ab epistropheo transeat ad quartam, musculo uero tali careat.
(β) *Idem* §. 125.
(α) ALBIN. §. 138.
(b) Hi uidentur ad priores (§. 137.) pertinere.
(α) ALBIN. §. 123-125.

Insertio. II. Inseruntur, oblique incedentes, parti posticae alterius *uertebrae*, quam proxime incumbentis.

Actio. III. Corpora *uertebrarum* adducunt, ad inuicem, paullulumque in unum latus.

§. 139. Numerus paruorum horum musculorum (§. 136-138.) est re uera incertus, nam & in pluribus cadaueribus uariat. Vltimi uero (§. 138.), omnium (§. 136. 137.) tenuissimi, praecipue dantur conspici supra posticam partem uertebrarum, primae secundaeque, ut & secundae ac tertiae.

§. 140. *Musculi omnes* (§. 136-138.) *in cane sunt grandiores, quam in homine.*

CAPVT XXIIX.

MVSCVLI DORSI.

§. 141. Licet musculi, dorsi lumborumque *uertebris* incumbentes, uel putante ita magno FALLOPIO, non uideantur esse, nisi tendinearum, fibrarumque carnearum ita uehementer, ac uarie, sibi inuicem intertextarum, ut, si non plane non, difficillime ad minimum separari possint, confusa indigestaque moles; nihilo tamen minus, ubi sectioni incubui, semper eos demonstraui, quippe in omnibus cadaueribus regulares, conformesque, in octodecim diuisos; nouem scilicet in quouis latere positos; quorum unus ad *thoracem* pertinet, nempe *sacrolumbalis* (§. 123.); tres ad dorsum; & reliqui ad lumbos. GALENVS & DVVERNEY unum idemque putant; siue illos, quos *spinales uerte-*

tebralesque uocant, pro uno pari habeas; siue eorum numerum, pro *uertebrarum* numero, augeas; ego tamen posterius multae confusionis causſam agnosco; prius autem artifice indignum habeo.

§. 142. LONGISSIMVS.

I. Eamdem cum *ſacrolumbale* (§. 123. I.) habet originem. *Origo.* EVST. T. 36. 37.

II. Inſeritur processibus transuerſis dorſi omnibus (α), & quidem ſingulis, tendine duplici; a quorum exterioribus lateribus ſecedunt fasciculi plures carnearum fibrarum, quibus pauca filamenta tendinea interſperſa, inſerti illico in inferiorem marginem costarum plurimarum, haud procul ab illarum *tuberculis*. (β). *Inſertio.*

III. Extendit dorſi *uertebras*; ſicque truncum corporis tenet erectum. *Actio.*

A ſuperiore huius musculi parte adſcendit portio, teres, carnea, quae, ubi postea tendinescit, cum musculoſa *trachelo-mastoidaei* (§. 128.) parte coit. (a).

§. 143. SEMISPINALIS.

I. Oritur, a processibus transuerſis infimarum *uertebrarum* dorſi ſex, uel ſeptem (α), totidem ſingularibus tendinibus, inde mox fit carneus, rurſumque tendineus; qualis *Origo.*

G 3 II.

(α) ALBIN. §. 137.

(β) ALBIN. §. 171.

(a) Mentio hic faciunda *ſemiſpinati*, detecti per BIDLOO, uel potius a *longisſimo* (§. 142.) ſeparati, cuius pars habetur a COVVPER. Exit nempe ad inferiora dorſi ex illo musculo, qua ſpinam dorſi ſpectat fibrarum carnearum fasciculus inde adſcendit, abitque in tres, uel quatuor tendines, quibus mediarum nonnullarum dorſi uertebrarum ſpinis inſeritur. EVST. T. XXVII. BIDL. T. XXIX. K. Saepe abest.

(α) ALBIN. §. 137.

Insertio. II. Inseritur omnibus superioribus dorsi spinis (β) ut & ultimae colli (γ).

Actio. III. Iuuat sequentes.

§. 114. TRANSVERSALES DORSI INTERIORES.

Origo. I. Oriuntur, cum tendinei, tum carnei, a superiore parte processuum transuersorum dorsi (α): post, omnes fiunt carnei, & feruntur, supra proximam uertebram.

Insertio. II. Inseruntur spinis dictarum uertebrarum omnibus, prope earum radices.

Actio. III. In uno latere positi omnes si agant simul, dorsum extendunt oblique, id est, illud mouent in unum latus: utriusque autem lateris una contracti, *uertebras dorsales* extendunt, easdem mouendo, posteriora uersus.

(β) ALBIN. §. 132. 6.
(γ) Idem §. 133. 1.
(α) ALBIN. §. 137.
(β) ALB. §. 132.

CAPVT XXIX.

MVSCVLI LVMBORVM.

§. 145. Ad lumborum *uertebras* mouendas quinque obseruantur musculorum paria.

§. 146. SPINALIS COVVPE: p. 135.

Origo. I. Oritur, tendineus & carneus, uti *sacrolumbalis* (§. 123. I.) & dorsi *longissimus* (§. 142. I.), ab *sacri ossis* superioribus spinis simplicibus. (α). II.

(α) ALBIN. §. 143. 2.

II. Inseritur, tendineus, spinosis processibus *uertebrarum lumborum* omnibus. (β). *Insertio.*

III. Hasce uertebras extendit. *Actio.*

§. 147. TRANSVERSALIS LVMBORVM; *uulgo* SACER.

I. Oritur, carneus, ab obliquis processibus *uertebrarum* lumborum. (α) (a). *Origo.* EVST. T. 39.

II. Inseritur prope radices spinosorum processuum illarum (β) EVST. l. c.

III. *Vertebras* lumborum eodem mouet modo, quo *transuersales*, (§. 144. III.) illas dorsi agunt. *Actio.*

§. 148. QVADRATVS.

I. Oritur amplus, tendineo-carneus, a posteriore parte *spinae ilium* (α). *Origo.* EVST. T. 39. & 38.

II. Inseritur processibus transuersis omnium *uertebrarum lumborum*, praeter ultimum (β): costae primae: &, paruo tendine, sursum repente sub *diaphragmate* (§. 105.), ultimae dorsi *uertebrae*, a latere. (γ). *Insertio.* EVST. l: c:

III. Lumbos in unum latus mouet: uterque autem *uertebras* flectit recta antrorsum. *Actio.*

In cane oritur a spina ilium *intrinsecus*, *adscendensque cohaeret cum processibus transuersis lumborum omnibus: tum*, *ingressus* thoracis *cauum*, *finit in decimam uel nouam* uerte-

G 4 bram,

(β) ALBIN. §. 131.
(α) ALBIN. §. 27. 2. 7.
(a) Eumdem quoque oriri ab *osse sacro* notat ALBIN. §. 144. l: c.
(β) ALBIN. §. 131.
(α) ALBIN. §. 191. 6.
(β) ALBIN. §. 136.
(γ) ALBIN. §. 122. 2.

bram, *desuper numeraueris.*

§. 149. A processibus transuersis, quarto, tertio, & secundo nonnumquam, nascuntur totidem parui musculi, coeuntes cum interno *quadrati* (§. 148.) latere, quod cauum *abdominis* respicit.

§. 150. ΨΟΑΣ PARVVS RIOLA:

Origo. EVST. T. 38. I. Oritur, carneus, a suprema lumborum *uertebra*, a latere. (α).

Insertio. II. Inseritur, tendine longo, plano ac tenui, illi *ossi pubis* parti, quae cum *osse ilium* committitur (β).

Actio. III. Succurrit *recto* (§. 5. III. 2.), in eleuando *pubis os*, ut quando propria ui surgimus decumbentes, uti scribit COVVPER p. 180. sed & (2) lumbos antrorsum flectere potest: tum uero origo eius trahatur ab *osse pubis* necessum est, ac insertio sit firmata in illis *uertebris.*

Hic in humano corpore abest saepenumero: in canino uero numquam, ubi ortum ducit a corporibus quatuor imarum uertebrarum *dorsi, quarumdamque superiorum lumborum, totidem paruis tendinibus, a latere: carneus autem a medio omnium illarum* uertebrarum *lateraliter. Inde illico largum, sed tenuem tendinem sibi adquirit, expansum supra magnum* Ψοας.

§. 151. INTERTRANSVERALES.

* * *

Origo. I. Hi inter transuersos lumborum processus (α) siti; oriundi a toto processus unius latere,

II.

(α) ALBIN. §. 121. 1.
(β) ALBIN. §. 186. 3.
(α) ALBIN. §. 136.

II. Inferuntur lateri alterius. *Insertio.*
III. Processus illos adducunt ad inuicem. *Actio.*
Paruos hosce musculos primus detexi in cane: postea uero & in humano corpore illos semper praesentes inueni.

CAPVT XXX.

MVSCVLI HVMERI.

§. 152. Ossi *humeri* mouendo nouem dati sunt musculi.

§. 153. PECTORALIS. (a)

I. Oritur, carneus, (1) a dimidia fere anteriore *clauiculae* parte; & (2) a cartilaginibus costarum, quintae & sextae (α), unde semper descendit fasciculus unus, uel duo, fibrarum carnearum supra membranam, quae obliquum (§. 1.) integit, descripti adcurate apud R. COLVMBVM L. V. C. XVI. (3) a tota fere ossis *pectoris* longitudine, tendinibus permultis, breuibus, eleganter decussantibus illos alterius lateris. *Origo.* EVST. T. 35. 28.

II. Inferitur duobus fortibus crassisque tendinibus, sese mutuo interfecantibus, superiori ac interiori parti *ossis humeri*, inter *deltoidem* atque *bicipitem* (β). *Insertio.* EVST. l. c.

III. Leuat humerum. *Actio.*

A superiore eius tendine nascitur *inuolucrum*,

(a) Fibrae eius summae descendunt, per obliquum: mediae feruntur per transuersum: imae autem adscendunt obliquae.
(α) ALBIN. §. 137.
(β) ALBIN. §. 272.

crum, siue, ligamentum tendineum, colligans capita *bicipitis*.

Quum in cane fibrae illius musculi, triplici, uarioque modo, decurrant; in tres quoque potest diuidi musculos.

Horum largissimus principium habet acutum, carneum, a cartilagine ensiformi, *& ab omni fere* osse pectoris; *finem uero, ope brevis robustique tendinis, in tuberculum capitis* ossis humeri; *ope membranacei, in idem os, longe inferius.*

Secundus, prioris exteriori lateri adcumbens, oritur prope extremitatem cartilaginis ensiformis, *inde adscendens, inseritur partim eodem cum praecedente modo; partim supra musculos, in interiore humeri parte positos, descendit.*

Tertius, a situ TRANSVERSALIS dicendus, oritur a superiore pectoris parte, tumque, supra primum per transuersum latus, inseritur, uasto ualentique tendine, infra illum, parti anteriori ossis humeri *extrinsecus, per omnem illius longitudinem.*

§. 154. DELTOIDES. (b).

Origo. 1. EVST. T. 28. 35. (2. 3.) EVST. T. 29.

I. Oritur, carneus, a tota postica externaque *clauiculae* parte, a *pectorale* (§. 153.) libera: (2) cum tendineus, tum carneus, ab inferiore margine partis anterioris *spinae scapulae*, & (3) totus tendineus, a postica eiusdem.

Insertio. EVST. l. c.

II. Inseritur, tendineus & carneus, protuberantiae, quae in parte antica humeri, circa

(b) Hic, ut & prior (§. 153.), facillime in plures diuidi possunt musculos.

ca huius medium (α). Fibrae *apicis* eiusdem confunduntur cum *brachiaei interni* parte aliqua.

III. Humerum adtollit recta: idque uel paullulum antrorsum, uel paullulum retrorsum, nam & diuersus fibrarum decursus. *Actio.*

In cane originem habet tendineo-membranosam ab omni fere scapulae spina (ℵ). *Pars eius, a summo humero proueniens, distincta quidem uidetur ab altera origine, non tamen, sine ui, ab inuicem, separari queunt. Adtollit, extrorsumque mouet solum: non autem introrsum; nam non nascitur a* clauicula, *quippe quam non habet canis.*

§. 155. SVPRASPINATVS.

I. Oritur, carneus, a tota *basi scapulae*, quae supra huius *spinam* (α): ut & a *spina* eius (β), & superiore *costa.* (γ). *Origo.* EVST. T. 37.

II. Inseritur, tendineus, parti *tuberculi*, quod in *ossis humeri* capite, sinui *bicipitis* uicinum. (δ) *Insertio.* EVST. T. 39.

III. Eleuat humerum. *Actio.*

§. 156. INFRASPINATVS.

I. Oritur, carneus, a tota illa parte *baseos scapulae*, quae inter eius spinam, inferioremque angulum interiacet, a spina usque ad *ceruicem* eius, & denique a latere totius illius *fossae*, quae supra inferiorem eius *costam.* (α) *Origo.* EVST. T. 37. & 38.

II.

(α) ALBIN. §. 272.
(ℵ) VESAL. L. I. C. XXI. F. IIII. C. D.
(α) ALBIN. §. 257. 7.
(β) *Idem* §. 259. I.
(γ) *Idem* §. 257. 4.
(δ) ALBIN. §. 272. 2.
(α) ALBIN. §. 257.

Insertio. EVST. I: c: II. Inseritur, crasso paruoque tendine, in superiorem partem protuberantiae asperae planaeque, quae in capite *ossis humeri.* (β).

Actio. III. Humerum mouet recta retrorsum.

In cane, per mediam musculi huius longitudinem, procedit tendo, a quo, in quouis latere, secedunt fibrillae *carneae, plumae* staminibus *haud dissimiles.*

EVST. I: c: §. 157. Ad internum musculi huius (§. 156.), latus adparent duo, uel tres, largi tendines, per longitudinem carneae substantiae decurrentes.

Membrana tendinea tegit tam hunc, quam praecedentem (§. 155.); neque solum robur illis addit, sed & impedit, ne extrorsum intumescant nimis.

§. 158. TERES MINOR,

Origo. EVST. T. 37. I. Oritur, carneus, a toto rotundo margine inferioris *costae scapulae* (α); semper, quoties secui, ab *infraspinato* (§. 156.) ope insignis membranae, distinctus.

Insertio. EVST. I: c: II. Inseritur, tendineus, paullulum infra insertionem praecedentis (§. 156. III.), & carneus, aliquantum infra caput *ossis humeri.*

III. Retrorsum ducendo humerum, iuuat sequentem.

Actio. *In cane oritur, tendine tenui, firmiter cohaerente cum* infraspinato (§. 156.), *a medio lateris* inferioris scapulae, *unde in teretem uentrem degenerans, uadit obliquus, supra* longi *caput, ad insertionem suam tendineam.*

§. 159. TERES MAIOR.

I. Ori-

(β) ALBIN. §. 272. 1.
(α) ALBIN. §. 257. 5.

I. Oritur, carneus, ab inferiori angulo *scapulae* (α), & ab inferioris *costae* illius parte, omnium asperrima crassissimaque. Fibrae illius carneae continuantur supra *infraspinati* (§. 156.) partem, cui firmiter adhaerent. *Origo.* EVST. T. 37. in sinistro. T. 36.

II. Inseritur, tenui, paruo, latoque tendine, asperitati, quae mox sub capite *ossis humeri* intrinsecus. (β). Arctissime unitur tendini *latissimi dorsi*, ita tamen, ut sese deferant ante, quam illi ossi inserantur. *Insertio.* EVST. l: c: VES. T. T. 30.

III. Humerum retrorsum deorsumque mouet. *Actio.*

§. 160. LATISSIMVS DORSI.

I. Oritur (1) tendine tenui, a posteriore parte *spinae ilium* (α); a spinis supremis *ossis sacri* (β), *uertebrarum lumborum* omnibus (γ), septemque, uel octo inferiorum dorsi (δ), infra *rhomboidem* (§. 117.); (2) tendineus & carneus, ab extremitatibus quatuor uel quinque imarum costarum ossearum, prope illarum cartilagines. *Origo.* 1. EVST. T. 29. 34.

Vidi quandoque exiguum carnearum fibrarum fasciculum, oriundum ab externo *baseos scapulae* latere (α); prope eius inferiorem angulum (β), qui, adhaerens huius musculi superiori parti in progressu suo, per longitudinem *costae inferioris* scapulae (γ), euanescebat

(α) ALBIN. §. 257. 6.
(β) ALBIN. §. 272. 1.
(α) ALBIN. §. 191. 6.
(β) ALBIN. §. 143. 2.
(γ) *Idem* §. 131.
(δ) *Idem* §. 132. 1-5.
(α) ALBIN. §. 257. 3.
(β) *Idem* §. eod. 6.
(γ) VES. L. I. C. XXI. F. II. VV.

bat in ipsum, adcurate, ubi tendinescere incipit. Facile crediderim, illum adesse in omni corpore, quamquam eum nunquam, ante impressum hunc libellum, obseruarim. Connectitur quoque per membranas, *tereti* (§. 159.) & *rhomboidi* (§. 117.)

II. Inseritur, tendine tenui ualentique, supra marginem sinus, qui pro *bicipite*, ad finem *pectoralis* (§. 153. II.)

Insertio. III. Idem efficit, quod *teres* (§. 159. III.)

EVST. T. 33. *in dextro*: & T. 34. *Vbi in cane, musculus hicce peruenit ad* teretem (§. 159.), *abit in elongationem tenuem, carneam, quae, supra longum cubiti descendens,*

Actio. *finit tendinea in* ὠλεκρανον. *Paullulum, ante terminationem suam; recipit* membranam carnosam, *quae est tenuis, musculosa, expansio, musculos, incumbentes superiori parti* ossis femoris, ossibus, ilium & sacro; abdomini, dorso, *maiorique* thoracis *parti, integens. Prope* axillam *fit angustior, sed crassior, confluitque cum hoc musculo, mox inserendo. Contractus panniculus hicce corrugat cutem; dorsique pilos erigit, quoties animal hoc irascitur, uel timet.*

§. 161. CORACO-BRACHIALIS. (c)

Origo. EVST. T. 33. I. Oritur, partim tendineus, partim carneus, ab inferiore latere *processus coracoidis scapulae*, ad huius mucronem. (α). Inter descendendum, cohaeret uni *bicipitis* capiti.

II.

(c) Vidi *Leidae*, demonstratore ALBINO, alium adhuc *coracobrachialem*, sed *paruum*, qui, ab eodem natus processu, *ossi humeri* inserebatur, infra eius caput. VESALIVS uero alterum *coracobrachiaeum bicipitis* partem habuit, quia cum huius *capite breui*, in adultis concrescit.

(α) ALBIN. §. 260. 5.

II. Inferitur, tendineo-carneus, circa medium internae partis *osſis humeri*, demittitque tenuem expanſionem tendineam ad internum huius osſi *condylum*. (β). *Inſertio.* EVST. l. c.

III. Eleuat humerum. *Actio.*

Per hunc musculum transit magnus quarti paris neruorum ceruicis ramus, faciens primum brachiale par. EVST. T. 19. utrimque.

In cane est paruus, tenuis, musculus, oriundus, tendine oblongo, a protuberantia, quae in ſuperiore parte ſuperioris costae ſcapulae, *qui, postquam* humeri *caput ſuperauit, fit carneus, talisque terminatur in internum eiusdem osſis latus, infra ceruicem eius, ad pollicis, uel maiorem adhuc, distantiam.*

§. 162. SVBSCAPVLARIS.

I. Oritur (1) carneus, a tota baſi *ſcapulae* (α); ab omni eius ſuperiore *costa* (β), & dimidia circiter inferiore (γ): (2), tendine duplici, a duobus tuberculis, in parte osſis illius concaua, prope baſim, ſitis, adque duos uel tres pollices ab inuicem distantibus. (δ). Hi tendines pergunt per carneam huius musculi partem ad inſertionem ſuam, ubi ſupra articulum procedunt, in plures alios diuiſi. *Origo.* EVST. T. 33. 38. BIDL. T. 65. E.

II. Inſeritur, tendineus, in latus ſuperius eminentiae, quae in capite *osſis humeri*, a latere: (ε). *Inſertio.* EVST. T. 38.

III.

(β) ALBIN. §. 272. 6.
(α) ALBIN. §. 257. 3.
(β) ALBIN. §. 257. 4.
(γ) VESAL. L. I. C. XXI. F. I. Pp.
(δ) VESAL. l: c: MMM.
(ε) ALBIN. §. 272. 2.

Actio. III. Humerum adprimit costis. (d).

Tendines huius musculi, ut & *infra-* & *supraspinati* (§. 155. 156. III.) firmiter connectuntur cum membrana, ambiente articulationem *humeri* cum *scapula*; facillime uero ab inuicem separari possunt, absque fibrarum tendinearum laesione quadam (e).

In cane tres tantum partes concauae scapulae *occupat hic musculus: reliquas uero eius* serratus (§. 118.).

§. 163. *Restant adhuc duo musculi describendi; quos praeterea canis habet. Prior uocetur*

LEVATOR HVMERI PROPRIUS. Oritur, membranosus & carneus, a toto spatio, quod inter terminationem tendineam mastoidaei (§. 84.) & *spinam* occipitis *interponitur; & a suprema parte* ligamenti colli, *Tum longa haec origo contrahitur, & per collum oblique descendens, arcte adhaeret alicui parti* leuatoris scapulae maioris (§. 116.), *transscendensque articulationem* humeri, *recta deorsum it, donec inseratur parti anticae eiusdem ossis, prope* flexuram cubiti, *inter* bicipitem *atque* brachiaeum internum *medius. Posterior*

MVSCVLVS, AD LEVATOREM ADCESSORIVS. Oritur ab osse occipitis, *ad insertionem crassi tendinis* mastoidaei (§. 84.), & *recipiens crassum, carneum, musculum, descendit, ut inseratur* leuatori proprio, *ubi cum hoc*

(d) Hic, cum *terete* (§. 158. III.), mouet tam uarie humerum in iis, qui tympana pulsant.

(e) Retrahunt ergo illi musculi hanc capsulam, ne corrugata, ubi humerus mouetur, illius motui obsist.

hoc eiusdem est latitudinis. Praecise supra caput osſis humeri, *ad musculi huius finem, uidetur osſiculum, cartilagineum, falcatum, duobus paruis ligamentis ad* ſcapulam, osſisque pectoris *mucronem adligatum, quod imperfecta uidetur clauicula.*

In felibus musculus hicce inseritur toti clauiculae *longitudini: quam & eleuat. Adcesſorius uero memoratus musculus, qui & felibus contigit*, leuatori *ſuccurrere uidetur, ut* os humeri *adtollat, eodemque illud tempore paullulum extrorsum uertat: ſicque caueat, ne pedes anteriores, inter currendum, uel ſaliendum, complicentur.*

CAPVT XXXI.

MVSCVLI CVBITI.

§. 164. Cubitus, hoc est, id omne, quod inter extremitatem *osſis humeri* & initium carpi interiacet, duobus constans osſibus, *ulna* & *radio*; quinque adcepit musculos.

§. 165. BICEPS INTERNVS. (a).

I; Caput eius alterum, idque exterius, oritur, tendineum, a *ceruice ſcapulae* (α), ad ſuperius angustumque latus cauitatis, quae *acetabulum:* ubi deſcendit, includitur, ope ligamenti membranoſi, a *pectorale* (§. 153.) *Origo.* EVST. T. 32. 35.

H pro-

(a) VESAL: eum dixit *flectentium cubitum anteriorem.*

(α) ALBIN. §. 258. I.

prouenientis sinui, qui in capite *ossis humeri* (β). Alterum, uel interius, uenit, tendineum ac carneum, a *processu scapulae coracoide* (γ). Post, paullulum infra medium partis anterioris humeri, capita haecce duo coëunt in unum.

Insertio. EVST. I: c: II. Inseritur, tendine forti ac crasso, omni *tuberculo*, quod in suprema *radii* extremitate, intrinsecus. (δ).

Actio. III. Flectit *cubitum* (b).

Vbi tendinescere incipit, hoc est, circa *flexuram cubiti*, demittit ἀπονεύρωσιν, primum detectam a Clarissimo Anatomico, COVVPER *Myotom: reform:* p: 147., integentem musculos omnes, qui in interiore *cubiti* parte. Fibrae eius decussant fibras membranae alterius tendineae subiectae.

In cane tantum unum ipsi caput, a ceruice scapulae *prodiens: quare, incumbens quippe sequenti musculo, mihi adpellatur FLECTENS CVBITVM ANTERIOR.*

§. 166. BRACHIALIS INTERNVS. (c).

Origo. EVST. T. 38. 33. I. Oritur, carneus, a medio *ossis humeri*, ad utrumque insertionis *deltoidis* (§. 154. III.) latus, implens omne inter istius ossis duo latera interuallum.

II.

(β) ALBIN. §. 272. 3.
(γ) *Idem* §. 260.
(δ) ALBIN. §. 281. 2.
(b) Supinat & radium, ac maiori quidem ui, quam supinatores eius. Id primus intellexit VVINSL: in *Actis Parisin:*
(c) Hic VESALIO uocatur *flectentium cubitum posterior.*

II. Inferitur, tendine forti, parti fuperiori ac anteriori *ulnae*. *Infertio.* EVST. l: c:

III. Iuuat defcriptum (§. 165. III.). *Actio.*

In cane oritur, largus & carneus, a parte posteriore humeri, *fub eius capite: inde uadit oblique ad osfis illius anteriorem partem, pergitque, ut in homine.*

§. 167. BICEPS EXTERNVS.

I. Caput prius, quod LONGVS musculus aliorum, oritur, largo tendine, a *costa fcapulae inferiore* (α); paullulumque carneum ab eius ceruice (β). Posterius, quod BREVIS aliis, habet originem acutam, tendineam, ut & carneam, ab *osfe humeri*, ad pollicis circiter distantiam, infra eius caput. Ambo in postica *humeri* parte confluunt, cum fequente musculo, in unum. *Origo.* EVST. T. 29. & T. 36. in finistro.

II. Inferitur fuperiori, exteriorique *ulnae* procesfui, qui ὠλεκρανον. *Infertio.* EVST. l: c:

III. Extendit *cubitum.* *Actio.*

§. 168. BRACHIALIS EXTERNVS.

I. Oritur, acute carneus, ab *osfe humeri*, aliquantum fupra infertionem *teretis* (§. 159. II.). Circa humeri medium, procedit, fub *longo* (§. 167. I.), quocum, ad exteriorem illius osfis eminentiam confunditur (α), pergitque, fub illo, ad eiusdem lateris *condylum*, ubi, cum *angonaeo*, fic confluit, ut feparari ab inuicem neqeeant. Reliqua eius pars eamdem cum *bicipite* (§. 167. II.) habet terminationem. *Origo.* EVST. T. 39.

H 2 §. 169

(α) ALBIN. §. 257. 5.
(β) ALBIN. §. 258. 1.
(α) ALBIN. §. 272. 5.

§. 169. *Biceps*, *brachialisque* (a), (§. 167. 168.) unum tantum constituunt musculum, tribus praeditum capitibus; quem nominabo TRICIPITEM CVBITI, *siue*, EXTENSOREM CVBITI MAGNVM, TRIPLICI PRINCIPIO NATVM.

§. 170. ANCONAEVS, *siue*, CVBITALIS RIOLA:

Origo. I. Oritur, terete paruoque tendine, a postica exterioris *condyli ossis humeri* (α). Inde carnescit illico, sicque intricatur cum *brachiali* (§. 168.), ut, absque violentia, separari omnino non possint.

Insertio. II. Inseritur, carneus ac tenuis, parti laterali *ulnae*, ad paucorum pollicum distantiam infra ωλεκρανον.

Actio. III. Confert ad extendendum *cubitum*.

§. 171. *In cane*, *in extensionem* cubiti, *uel*, ulnae, *conspirant quinque*, *uere distincti*, *musculi:*

EXTENSOR PRIMVS, *seu*, *LONGVS*, *ortus*, *ut in homine* (§. 167. I.), *largescit in crassum uentrem*, *post autem*, *sensim contractus*, *fit tendineus*, *&* *inseritur parti superiori exteriorique processus* ulnae, *qui in humano corpore* ωλεκρανον.

EXTENSOR SECVNDVS, *uel*, *BREVIS oritur a superiore & postica* humeri *parte*, *praecise sub plano eius capite*, *qui*, *descendens sub* longo, *abit in paruum tendinem*, *transeuntem per* sulcum *in* ulnae *extremitate*, *ac insertum*, *paullulum infra longum*.

EX-

(a) Haec post COVVPER p: 151. unanimis est omnium adcuratorum Anatomicorum sententia.

(α) ALBIN. §. 272. 5.

EXTENSOR TERTIVS, *ex parte respondens* brachiaeo (§. 168.), *est sat crassus*, *carneus musculus*, *oriundus a superiore & posteriore* humeri *parte*, *ad eminentiam*, *prope insertionem* teretis (§. 158. III.), *& insertus externo processus* ὠλεκράνου *lateri.*

EXTENSOR QVARTVS, *siue*, *ANCONAEVS*, *cui origo ac insertio eadem*, *quae in homine* (§. 170.), *replet cauitatem*, *quae inter* radii ulnaeque *capita.*

EXTENSOR QVINTVS oritur, *tendine tenui*, *ab interiori latere illius eminentiae* scapulae, *in quam terminatur* supraspinatus (§. 155. III.), *inde procedens sub* teretis (§. 159. III.) *tendine*, *fit carneus*, *tendineusque inseritur interiori lateri processus*, *quem* ὠλεκράνον *nominauere.*

CAPVT XXXII.

MVSCVLI PALMAE MANVS.

§. 172. **P**alma, uel, *uola manus*, duos sibi habet musculos.

§. 173. PALMARIS LONGVS.

I. Oritur, tendineus, ab interna *ossis humeri* eminentia (α): mox fit carneus, post paucorum pollicum distantiam uero rursum tendineus futurus. Circum *annulare carpi ligamentum* expanditur in amplum, diuergentemque tendinem, (qui & filamenta quaedam dicto *ligamento*, *abductori pollicis*, huiusque pri- *Origo.* EVST. T. 35. EVST. T. 28. T. 30.

(α) ALBIN. §. 272. 6.

mi internodii *flexori* impertit,) quem inter & cutem multa pinguedinis copia interposita. Nonnumquam musculus hic ortum suum ducit ab *annulari ligamento* (a). Ad extremitatem inferiorem ossium *metacarpi* plurimae, oblongae, tendineae fibrae, supra illum, ab uno latere ad alterum euntes, sese decussant inuicem.

Insertio. EVST. l: c. II. Inseritur, tendine exiguo, duplici, lateribus cartilaginis, quae inuestit articulum cuiusuis digiti cum *ossibus metacarpi*.

Actio. III. Contrahit palmam manus, sicque iuuat rem quamdam firmiter prensare. (b).

§. 174. PALMARIS BREVIS CANNAN; *uel*, CARO QVADRATA (c).

Origo. EVST. T. 35. 32. I. Oritur, tendine, membranae simili, a superiore exterioreque parte *ossis metacarpi minimi digiti* (d); inde adscendit obliquus, adhaerensque quarto ossi *carpi*, incumbenti tertio, fit carneus, duobus, uel tribus locis, separatus mediis membranis; proceditque sub priore (§. 173.).

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur tendineus *ligamento annulari* & ossi *carpi*, commisso cum pollice. (e).

Pars tendinis suprema cohaeret cum *abduc-*

(a) Confirmat MORGAG. *Adu.* II. p. 39.

(b) Subiecta defendit. Dum enim firmissime aliquid prehendimus, unde certa subditorum illi tendini laesio, pars musculosa illum tendit: ut sic irriti fiant reagentium corporum impetus. Contingit aliquando, illum in eiusdem subiecto uno latere abesse, & in altero tamen adesse. Duos in una manu uidit *Auctor*. Vid. *praefatio eius*.

(c) Sic uocatur SPIGEL: L: V. C: XXXV.

(d) Veram hancce originem primus notauit COVVPER p: 154.

(e) *Ossi multangulo maiori*.

ductore pollicis, inferior autem cum *flexore secundi internodii eiusdem.*

III. Palmam manus concauam reddit, fingitque DIOGENIS supellectilem, palmam pollicis ducendo uersus os metacarpi minimi digiti. *Actio.*

Et hocce musculo destituitur canis.

CAPVT XXXIII.

MVSCVLI CARPI.

§. 175. Carpo, octo constanti osficulis, inter extremitatem *cubiti*, superioremque ossium *metacarpi* partem, sitis, quatuor prospiciunt musculi; omnes tamen, notante VESLING, ossibus metacarpi inseruntur.

§, 176. FLEXOR CARPI RADIALIS.

I. Oritur, & tendineus, & carneus, ab interna *ossis humeri* eminentia (α), & a margine aspero totius anterioris processus *ulnae*, ubi firmiter cohaeret cum *pronatore radii terete*. *Origo. Insertio.* EVST. T. 30. 35.

II. Inuolutus membranae, procedenti a tendinibus ceterorum musculorum, quibuscum progreditur sub *annulari ligamento*, fertur per *sinum*, qui in osficulo carpi, articulationis ope, commisso cum pollice (a), & in *Insertio.* EVST. T. 35.

 in-

(α) ALBIN. §. 272. 6.

(a) Nempe in osse *multangulo maiori*. Vid: ALBIN. §. 314. 4. Deducitur idem tendo quoque per processum *ossis cuneiformis*. Vid: ibidem.

inseritur, plano tendine, parti anteriori ac superiori *ossis metacarpi indicis*.

Actio. III. Carpum flectit una cum manu; ubi uero cum *radiali extensore* simul egerit, carpum mouet in latus, *radium* uersus.

§. 177. FLEXOR CARPI VLNARIS.

Origo. I. Oritur, tendineus, ab eodem humeri EVST. tuberculo, ut prior (§. 176. I.); ut & carT. 35. 30. neus, compactus, a latere processus ὠλεκρά-37. νου, quem inter & originem priorem, procedit EVST. magnus bracchialium neruorum *ramus*, *ulna-*T. 19. *ris* adpellatus, ad cubitum. Vbi, secundum *ulnae* longitudinem, descendit, tegitur expansione tendinea, ut ceteri musculi omnes, in exteriore *cubiti* parte conspicua, quae & per hunc solum musculum externo illius ossis lateri adhaerere uidetur.

Insertio. II. Inseritur, tendine breui fortique, in EVST. quartum os primi ordinis *carpi*, tertio incuml. c. bens (b). In quadam ab hac insertione distantia transit ligamentum ab illo ossiculo ad *os metacarpi minimi digiti*, quod nonnulli continuatum musculi huius tendinem habent.

Actio. III. Iuuat praecedentem, (§. 176. III.), flectendo *carpum*.

In cane duos distinctos constituit musculos; quorum maior oritur tendineus a tuberculo interno humeri, *non procul a margine* sinus, ulnam *recipientis*, & *inseritur ossi* carpi, *extra ordinem prominenti. Minor autem nascitur tenuis, carneus, a processu, qui* ὠλεκρανον, *ad pollicis circiter interuallum per interius* ulnae *latus; in-*

(b) Vid. ALBIN. l. cit. Nonnunquam uero dat tendinem ad *annulare ligamentum*.

inferiturque eidem ossi, cui prior, in quadam tamen ab illo distantia.

§. 178. EXTENSOR CARPI RADIALIS.

I. Hic duos, distinctos, constituit musculos: alter, qui LONGVS mihi, uel SVPERIOR, oritur amplus, tenuis, carneusque, inter *condylum* & *supinatorem radii longum* medius, ab inferiore parte externae eminentiae *ossis humeri* (α). Alter, qui INFERIOR, siue, BREVIS, uenit, tendineo-carneus, ex eadem protuberantia, ut prior. Vterque in externo *radii* latere ponitur: posterior autem descendit magis, quam prior. *Origo.* EVST. T. 37.

II. *Longus* inferitur, superiori parti ossis *metacarpi* indicis: *breuis* autem illi, sustinenti medium digitum. Vtriusque uero insertio est tendinea. *Insertio.* EVST. T. 37. *in dextro:* & T. 36.

III. Extendit carpum, manumque retro mouet. *Actio.*

In cane sat proprie BICORNIS dici potest; nam & origines eius non, nisi ingenti ui, ab inuicem separaueris.

§. 179. EXTENSOR CARPI VLNARIS.

I. Oritur, tendineus, inter *anconaeum* (§. 170.) (c), & *extensorem digitorum communem*, ab exteriori eminentia *ossis humeri* (α): ut & carneus a superiori *cubiti* parte, a latere. Inde, descendens secundum istius ossis longitu- *Origo.* EVST. T. 33. 39.

(α) ALBIN. §. 272. 5.

(c) *Anconaeum* hinc multi habuere musculi huius partem: communi enim inuoluuntur membrana.

(α) ALBIN. §. 272. 5.

dinem, teres illius tendo continetur in finu, qui in ulnae extremitate (β), unde ad infertionem fuam transit per ligamentum, ut uaginam.

Infertio. EVST. l: c: *Actio.*

II. Inferitur, tendineus, fuperiori parti *offis metacarpi*, fulcientis minimum digitum.

III. Idem eius eft ufus, qui praecedentis (§. 178. III.)

Huncce musculum uestit expanfio tendinea, deorfum continuata a quibusdam *extenforum cubiti* tendinibus: haec etenim *ἀπονευρώσις* eleganter expanditur fupra musculos quosque, in exteriori anterioris humeri latere fitos, aeque, ac illa *bicipitis* (§. 165.) illos interioris lateris integit.

Quoties musculus hicce cum *flexore* (§. 177.) contrahitur: toties carpum, cum manu, in latus mouet, *ulnam* uerfus.

In cane tendinem dat ad os carpi, *alteri innitens; ficque, ubi extendit*, carpum *paullulum extrorfum ducit: qui fane infignis ufus est currenti illi animali.*

(β) ALBIN. §. 281. 3.

CAPVT XXXIIII.

MVSCVLI QVATVOR DIGITORVM MANVS.

§. 180. **M**usculos quatuor digitorum discerno in communes & proprios. Illorum, qui ad omnes quatuor digitos pertinent, recenfentur tredecim; fcilicet: *extenfor* unus, duo *flexores*, quatuor *lumbricales*; & fex *interosfei.*

§. 181. PERFORATVS. (a)

I. Oritur, (1) tendineo-carneus, ab interiori *osfis humeri* condylo (α): (2) *tendineus*, ab *anteriore* procesfu *ulnae*, prope marginem finus lunati: & (3) tendineo-membranofus, circa medium anterioris partis *radii*. Haecque origo fe extendit fere a *flexoris pollicis magni* ortu usque ad tres, uel, quatuor pollices fub illo osfe. Prius autem, quam per carpi ligamentum progrediatur, in quatuor abit tendines. *Origo.* EVST. T: 38. BIDL. T. 67. CCCC.

II. Qui inferuntur fuperiori parti osfis fecundi cuiusque digiti, quorum qui ad minimum digitum transit, ceteris multo minor. In uola manus omnes communicant inter fe, continenturque ad priores maiores tendines per molles, uiscofas membranas. Circa primum digiti cuiusuis internodium iam omnis tendo adparet fisfus, pro fingulo *perforantis* tendine transmittendo: post rurfum uniuntur, ibique tendinea filamenta utriusque lateris fe eleganter decusfant. Inde rurfum diuifi, prout recte docuit COVVPER p. 156., procedunt aliquantisper fupra osfium latera, donec illorum fuperiori parti inferantur; ut femper inueni. *Infertio.* EVST. l: c: BIDL. l: c: BIDL. l: c:

III. Flectit fecundum digitorum internodium. *Actio.*

In cane musculi huius tendines pro perforantis *tendinibus fisfi non funt, fed formant teretem capsulam, quae, primo internodio par longitudine, illos tendines in omni fuo itinere integit. In exteriore eius latere adparet exiguus finus oualis fi-*

(a) Alias uocatur *fublimis*.
(α) ALBIN. §. 272. 6.

figurae. Neque ſubdiuiduntur illi tendines.

§. 182. PERFORANS. (b)

Origo. EVST. T. 32. in dextro & T. 33.

I. Oritur, carneus, (1) a tota ſuperiore *ulnae* parte lateraliter, quae origo eius deorſum pergit ab externa eius *ſpina* usque ad eius medium: (2) ab eiusdem oſſis interiori ac anteriori latere: & (3) a dimidio *ligamento*, *ulnam* connectente *radio*.

Pars musculi craſſior, ſuperior ac carnea arcte includitur *tendinoſae faſciae*, uestienti musculos, in externa cubiti parte ſitos (§. 179.)

Inſertio. BIDL. l: c: HHHH. IIII.

II. Paullo ante, quam ſub transuerſo *carpi* ligamento progrediatur, in quatuor finditur tendines, permeantes fiſſuras, quae in praecedentis (§. 181. II.) tendinibus, continuatos usque ad inſertiones ſuas in tertium os omnium quatuor digitorum. (c).

Actio.

III. Flectit ultimum digitorum internodium.

In cane tria, distincta, carnea habet principia: extimum nempe a ſuprema mediaque radii *parte: intimum a ſumma* ulnae, *quod deſcendit per maxumam eius lateris partem. Ambo haecce capita ſunt ualde exigua. Tertium uero latum, magnique uentris musculum conſtituit, in duos, uel tres, ut uidetur, diuiſum, ac oriundum, ab interiore* oſſis humeri *eminentia. Enarrata haec tria principia tandem confluunt, unumque craſſum latumque tendinem formant, mox in quinque minores fiſſum;*

(b) Aliis *profundus* adpellatur.

(c) Et quidem in *eminentiam* asperam, quae in illius oſſis media, ac interiore parte. ALBIN. l: c: §. 332.

ſum; quorum quatuor finiunt, ut in homine: quintus uero terminatur in pollicem.

§. 183. LVMBRICALES.

I. Quatuor hi musculi oriuntur tenues & carnei ab exteriori tendinum *flexoris* (§. 182. II.) latere (c), paullulum infra *transuerſale ligamentum*; cui, ubi deſcendunt, adhaerent aliquantum; ubi uero ab illo ſecedunt, fiunt teretes & ſatis ampli. *Orig.* EVST. T. 32.

II. Inſeruntur in largos *interosſeorum* tendines, circa medium primi *internodii*, quod ſpectat pollicem, a latere, tendinibus praelongis, qui feruntur ſupra cartilagineum, transuerſumque ligamentum, incrustans articulationes digitorum primorum osſium cum *metacarpo.* *Inſertio.* EVST. l: c:

III. Hos dicunt concurrere ad flectendum primum digitorum internodium. (d). *Actio.*

§. 184. EXTENSOR DIGITORVM COMMVNIS.

I. Oritur, acuto tendine, ab exteriori protuberantia *osſis humeri*, inter *carpi extenſores* (§. 178. 179.) medius, firmisſime adnexus *radii ſupinatori breui.* Ante, quam per *carpi ligamentum* transeat, in quatuor, planos, tendines finditur, quorum quisque adhuc in plures minores diuidi potest. Et praecipue quidem circa osſium *metacarpi* extremitates communicant omnes, emisſis filamentis tendineis. *Orig.* EVST. T. 29. EVST. T. 28.

(c) Suspicatur COVVP. p. 160., illos procedere communi cum *perforante* (§. 182. II.) origine, qui post cum illius tendinibus coeant, rurſumque ſecedant.

(d) Extenſores illos perperam putauit FALLOP. Musculi dicuntur *fidicinales*, quia minutos illos motus, in Muſica necesſario perficiundos, efficiunt.

dineis. Vnum uero tendinem transmittit ad minimum digitum, praeter huius extensorem proprium.

Insertio. EVST. l: c. Tendines illi inseruntur in supremam partem ossis secundi cuiusuis minoris digiti: tumque per illum tractum primo ibi adhaerent internodio. (e).

Actio. III. Extendit primum ac secundum digitorum internodium.

In cane decurrit, inter duo ligamenta, ab secundo internodio *ad tertium euntia, medius, ad ultimum os cuiusuis digiti. Haecce ligamenta ultimum internodium retrahunt, eleuant ac suspensum tenent, ne tendo extensor semper nimis extendatur; uti alibi hoc explicabitur fusius.*

§. 185. INTEROSSEI. (f)

Origo. I. Recte diuiduntur in *externos* & *internos*. Illi replent omne spatium, quod *metacarpi* ossa in dorso manus relinquunt. Hi, qui, proprie dicendo, *interosseorum* nomen haud merentur, in *uola* tantum *manus*, minime uero in *dorso* illius, conspicui, oriuntur ab anteriori parte ossium *metacarpi*, palmam manus respicientium. Externi uero utrobique adparent.

Origo. EVST. T. 38. Musculus *interosseus* primus oritur tendineus & carneus a tota anteriore parte *ossis metacarpi indicis*, inter caput eius ac *condylum* medius: ut & a superiore parte *ossis metacarpi medii* digiti. Hicce, *internorum* primus, ad

(e) Integunt digitorum dorsa, lata ἀπονευρωσει: prout ubique habet EVST.

(f) Hosce primus uere descripsit HABICOT dans la *semaine anatomique*, *lectione* XII. p: 260-263.

ad illud indicis latus pertinet, quod medium digitum respicit.

Secundus, qui *externorum* primus, oritur a maxuma parte exterioris lateris *ossis metacarpi medii digiti*; & aliquantum tendineus ab antica eius, sub eius capite. Hic tam in uola, quam in dorso manus uideri potest, decurrens iuxta longitudinem illius lateris digiti medii, quod *indici* uicinum. *Origo.* EVST. T. 39.

Tertius, hoc est, *externorum* alter, ad alterum medii digiti latus, iuxta eius longitudinem, positus, occupat omne spatium, quod inter ossa *metacarpi* dicti digiti, ut & annularis, reliquum. Iam ab utroque hocce osse prodit, ut & a parte quadam illius ossis lateraliter; in palma manus similiter optume conspiciundus. *Origo.* EVST. l: c: & T. 38.

Quartus, qui *internorum* secundus, in latere digiti annularis, medio proximo, oritur a tota anteriore parte ossis *metacarpi*, cui annularis innititur. infra eius caput. *Origo.* EVST. T. 38.

Quintus, qui *externorum* tertius, per omnem alterius lateris dicti digiti longitudinem decurrens, implet, in dorso manus, omne interuallum, quod inter digiti dicti & minimi *ossa metacarpi* adparet: & ab illis ossibus exoritur. *Origo* EVST. l: c: & T. 39.

Sextus, seu, *internorum* tertius, ad latus minimi digiti, annularem respiciens, per omnem longitudinem situs, oritur tendineus ac carneus ab anteriori latere totius ossis *metacarpi minimi digiti*. *Origo.* EVST. T. 39.

Omnes hi utriusque generis musculi procedunt sub *ligamento cartilagineo* (§. 183. II.), &

& quisque uenter abit in duos tendines.

Insertio. II. Tendo unus mox inseritur parti superiori primi *internodii* a latere: alter dilatatur amplus, multumque tegit, tendini *extensoris* (§. 184. II.) connexus, internodium primum: tum, ubi ad superiorem secundi *internodii* partem, ubi *extensor* (§. cit.) finit, adpellit, fertur oblique secundum longitudinem illius ossis, donec superiori parti ultimi internodii illius digiti inseratur. Ante tamen cum pari suo alterius lateris confluit.

Actio. III. Longi tendines contracti, extendunt *internodium* ultimum; sicque, in quo *extensor magnus* defecit, supplent. Breues uero in latus mouent digitos, hoc est, digitos uel adducunt ad inuicem, uel a pollice remouent.

In cane deprehendo sex musculos, descriptis quodammodo respondentes: quorum quatuor ingentes *sunt, non inter ossa* metacarpi, *sed in concaua eorum positi, deorsumque recta lati: reliqui uero sunt* exigui, *obliqui.*

Magni oriuntur, tendinei & carnei, a superiore parte ossium metacarpi, *cui quoque per omnem descensum suum cohaerent. Ad primi internodii os* sesaminum *quisque abit in duos tendines, qui, oblique lati per latera digitorum, uniuntur, non separandi, tendini* extensoris (§. 184.), *prope inferiorem partem ossis primi cuiusuis anterioris digiti.*

Paruorum *alter ad* indicem *pertinet, qui, oriundus a superiore parte* ossis metacarpi medii digiti, *descendensque obliquus, tendinescit, circa internodium primum, inseriturque illi ossi,*

ſi, circa medium, lateraliter, intrinſecus.

Alter oritur ab oſſe metacarpi *tertii digiti, finitque, post obliquum progreſſum, in internum latus primi oſſis minimi digiti.*

Hi duo adducunt minores hosce digitos ad medium.

§. 186. Musculi digitorum proprii, uel ad indicem, uel ad minimum digitum, referuntur.

CAPVT XXXV.

MVSCVLI INDICIS MANVS.

§. 187. Ad *indicem* tres ſpectant musculi.

§. 188. EXTENSOR SECVNDI INTERNODII INDICIS PROPRIVS; *uulgo*, INDICATOR.

I. Oritur, acute carneus, a medio *ulnae*, immediate infra *extenſores pollicis.* (a) Post tendinescens, transit ſub eodem *annulari ligamento*, cum *extenſore* (§. 184). *Origo.* EVST. T. 33. *in dextro.*

II. Inſeritur ſuperiori parti ſecundi internodii, ad internum *extenſoris* (§. cit.) latus. *Inſertio.* EVST. l. c.

III. Indicem extendit oblique paullulum. *In cane, inſeritur internodio ultimo.* *Actio.*

§. 189. EXTENSOR TERTII INTERNODII INDICIS. (b).

I   I. Ori-

(a) Oritur quoque quandoque a *ligamento interosſeo.*
(b) Hunc *extenſorem*, ut & *illum minimi digiti* referunt

Origo. I. Oritur, carneus, ab omni exteriori latere *osſis metacarpi*, quocum committitur *index*.

Inſertio. II. Inſeritur, duplici tendine, ut *interosſei* (§. 185. II.), altero breui, in ſuperiorem partem primi illius osſis a latere: altero largo longoque, in ſuperiorem partem ultimi osſis, cohaerente cum *interosſeo primo* (§. cit.)

Actio. III. Breuis tendo *indicem* abducit a reliquis: ſicque *abductoris* nomen retinere poteſt: *longus* autem iuuat illum *interosſeum*. in extendendo ultimum indicis articulum.

Hic in cane non datur.

§. 190. ABDVCTOR.

Origo. EVST. T. 36. I. Oritur, largus & carneus, a ſuperiore exterioreque parte primi osſis pollicis.

Inſertio. EVST. l: c: II. Inſeritur, paruo tendine, in ſuperiorem partem primi osſis indicis a latere, prope pollicem (c).

Actio. III. *Indicem* abducendo a medio digito, illum adducit ad pollicem. Pollicis ergo reſpectu, *adductor* adpellari poteſt: medii digiti uero, *abductor*.

Neque hic inuenitur in cane.

runt quidam ad *interosſeos* (§. 183:), licet minime inter osſa ſitos, ob originem ac inſertionem, cum *interosſeis* (§. 185. II,) eamdem.

(c) Sed & quandoque finit praeterea in *os metacarpi indicis*.

CAPVT XXXVI.

MVSCVLI MINIMI DIGITI MANVS.

§. 191. Digitis auricularis tres proprios sibi habet musculos, unumque cum *extensore* (§. 184.) communem, quibusdam singularem tamen habitum: estque is, qui sequitur.

§. 192. EXTENSOR MINIMI DIGITI.

Hunc prodire perhibent ab exteriore *humeri* protuberantia, & superiore *ulnae* parte. Me tamen iudice, distinctum ab *extensore* (§. 184.) musculum constituere nequit; nam eos, absque sectione, neque separaueris. Verum equidem est, tendinem eius, distinctum a reliquis tribus tendinibus, procedere sub *annulari ligamento*, qui dein in duos abeat; id uero nouo musculo formando non sufficit.

EVST. T. 34. & 31. *qui quoque ab extensore* (§. 184.) *illum diuisisse uidetur.*

§. 193. Omnis, in uola manus, prominens mollis caro *ossi metacarpi minimi digiti* incumbens, Graecis uocatur ΥΠΟΘΕΝΑΡ: quae infra illam conspicitur, ΘΕΝΑΡ ipsis audit. Eadem uero facillime in tres diuiditur musculos.

§. 194. EXTENSOR TERTII INTERNODII MINIMI DIGITI.

I. Oritur carneus, intertextis quibusdam fibris tendineis, ab osse *carpi*, incumbente tertio primi ordinis; ut & a ligamento, connec- *Orig.*

tente illud os ad *os metacarpi* minimi digiti. (a).

Insertio. II. Habet insertionem *interosseorum* (§. 185. II.); hoc est, paruo tendine, in superiorem partem primi ossis huius digiti a latere: longo uero, in superiorem partem ossis ultimi: cui alterius lateris *interosseus* (l. c.) adcumbit.

Actio. III. Iuuat internodii ultimi extensionem: breuis uero tendo solus illum digitum abducit a ceteris.

§. 195. ABDVCTOR MINIMI DIGITI. ΥΠΟΘΕΝΑΡ RIOLA:

Origo. EVST. T. 39. 38. I. Oritur carneus, a tenui, protuberante parte ossiculorum carpi omnium. (b)

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur, tendine sat longo ac terete, interiori lateri breuis tendinis *extensoris* (§. 195. II.), prope superiorem partem primi ossis huius digiti.

Actio. III. Minimum digitum haud tantum abducit a reliquis, sed & flectit aliquantulum.

§. 196. FLEXOR PRIMI INTERNODII MINIMI DIGITI. (c)

Origo. I. Oritur, tendineus & carneus, ab inferiore parte tenuis lateris octo carpi ossium, ut & ab omni interno latere *ossis metacarpi* huius digiti. Vbi ad huius *condylum* peruenit, diuiditur in duos tendines, insertos a quouis la-

(a) Hoc est ossiculum *subrotundum*, adplicatum *triquetro*. Vid: ALBIN. l: c: § 297.

(b) Oriri hunc musculum adserit ALBIN. a processu ossis illius *carpi*, cui *cuneiformis* nomen imposuit. Vid l: c: §. 314. 3.; ut & sequentem musculum.

(c) Hunc, & praecedentem musculum (§. 195.) pro uno describit COVVPER p: 164.

latere in superiorem partem primi ossis huius digiti.

II. Facit ad flectendum primum digiti minimi *internodium*. *Actio.*

§. 197. *Hi omnes* (§. 194-196.) *absunt in cane.*

CAPVT XXXVII.

MVSCVLI POLLICIS MANVS.

§. 198. Pollex *manus*, reliquis digitis omnibus; quibus, alterius manus instar, opponitur; par robore, a nouem mouetur musculis.

§. 199. FLEXOR TERTII INTERNODII.

I. Originem habet acutam, carneam, a superiore parte *radii*, paullulum infra *bicipitis* (§. 165. II.) insertionem, protractam per aliquam ossis anteriorem partem (a). Paruae ac carneae eius fibrae decurrunt ibi dupliciter ad tendinem intermedium. *Origo.* EVST. T. 38.

II. Inseritur tertio (b), uel ultimo pollicis ossi, posteaquam progressus sub quibusdam annularibus ligamentis, ab uno secundi ossis latere ad alterum euntibus. *Insertio.* EVST. l: c:

III. Flectit ultimum pollicis internodium. *Actio.*

§. 200. FLEXOR SECVNDI INTERNODII.

 I. Hic

(a) Oritur quoque a *ligamento interosseo* : & nonnumquam a maiori humeri condylo. V. EVST. T. XXXV.

(b) Auctor scilicet *os metacarpi pollicis* primum habet os pollicis.

Origo. EVST. T. 38. I. Hic in duos, distinctos, diuidi potest musculos, quos inter decurrit praecedentis (§. 199.) tendo medius. *Exterior* procedit ab osse *carpi*, quod cum pollice articulatur (c). *Interior* uero ab eiusdem ossis parte, ut &, communi cum *adductore* ortu, a superiore parte *ossium metacarpi*, *indicis* & *medii digiti*.

Insertio. II. Ambo inseruntur duobus *ossibus sesaminis* secundi internodii pollicis. (α).

Actio. III. Flectunt illud *internodium*.

§. 201. FLEXOR PRIMI INTERNODII.

Origo. EVST. T. 35. I. Oritur, *abductori* subditus, a *ligamento transuersali*, ut & ab osse *carpi*, quod articulatur cum pollice.

Insertio. II. Inseritur carneus toti interiori lateri primi ossis pollicis.

Actio. III. Flectit illud internodium.

§. 202. EXTENSOR PRIMI INTERNODII. (d)

Origo. BIDL. T. 70. I. Oritur, carneus, (1) a superiore atque exteriore *ulnae* parte, immediate infra insertionem *anconaei* (§. 170. II.); (2) a postica *radii*, infra eius *supinatorem breuem*; & (3) a *membranoso ligamento*, connectente ossa *cubiti*.

Insertio. II. Inseritur, semper duplici tendine: sed & saepe, triplici: & primo quidem, largo ac terete, qui plurimorum minimorum uidetur col-

(c) Hocce os ALBINVS dixit *multangulum maius*, descripsitque l: c: §. 298. & seqq.

(α) ALBIN. §. 328.

(d) Hunc nonnumquam in duos, immo tres diuisum musculos scribit COVVP. p. 169.

collectio, in ſuperiorem partem primi osſis pollicis; ſecundo, immiscetur origini carneae *abductoris pollicis*; tertio denique, non ſemper reperiundo, osſi *carpi*, quod articulatur cum pollice.

III. Extendit primum os pollicis. *Actio.*

§. 203. EXTENSOR SECVNDI INTERNODII.

I. Oritur (1) carneus, a parte *radii* postica, circa mediam carnem prioris (§. 202.), cui quoque, inter deſcenſum ſuum, firmiter adhaeret: (2): a parte quadam *ligamenti membranoſi*. *Origo.* BIBL. T. 71.

II. Inſeritur ſuperiori parti ſecundi osſis pollicis. *Inſertio.*

III. Extendit ſecundum *internodium*. *Actio.*

§. 204. EXTENSOR TERTII INTERNODII.

I. Oritur, acute tendineus ac carneus, (1) ab *ulna*, paullulum infra ortum *extenſoris* (§. 202.): (2) ab ligamento interosſeo. *Origo.*

Tendo eius decurrit in ſinu proprio, qui ad extremitatem *radii*.

II. Inſeritur tertio, uel ultimo, osſi *pollicis*. *Inſertio.*

III. Vltimum internodium retrorſum ducendo, illud extendit. *Actio.*

§. 205. ABDVCTOR, ΘΕΝΑΡ RIOLANI.

I. Oritur, largus, tendineus ac carneus, (1) a *ligamento transuerſo carpi*: (2) ab uno osſiculo carpi, quod articulatur cum pollice. *Origo.*

II. Inſeritur ſecundo internodio *pollicis digitorum manus*. *Inſertio.* BIBL. T. 64. I.

Actio. III. Pollicem abducit a digitis.

§. 236. ADDVCTOR AD INDICEM, ANTIΘENAP RIOLA:

Origo. BIDL. T 71. L. I. Oritur, a latere exteriore superioris partis *ossis metacarpi indicis.*

Insertio. II. Inseritur primo internodio pollicis, demittens tendinem tenuem, iuxta *extensoris* (§. 202. I.) longitudinem decurrentem.

Actio. III. Pollicem adducit ad indicem.

§. 207. ADDVCTOR AD MINIMVM DIGITVM.

Origo. I. Oritur, paullulum tendineus, sed in primis carneus, a tota longitudine ossis *metacarpi*, medio suppositi digito. Inde fibrae eius aequabiliter, in utroque latere, coarctantur, uaduntque ad pollicem.

Insertio. II. Inseritur internodio eius secundo, paullulum infra unum os sesaminum.

Actio. III. Pollicem adducit ad digitos, annularem & minimum.

§. 208. *Pollex in cane, uel ossium ordo, a ceteris digitis, in quadam distantia, remotus, unum tantum habet* extensorem, *unumque* flexorem.

EXTENSOR, cuius ortus, progressus ac insertio paullulum diuersi ab extensore (§. 204.) *in homine; est tenuis, planusque musculus, nunc tendineus, nunc carneus, explens cauitatem, quae inter ossa* cubiti.

FLEXOR est admodum exiguus, oriundus ab uno ossium carpi, *insertusque secundo* internodio, *quod pollicem in illo animali refert.*

C A-

CAPVT XXXVIII.

MVSCVLI RADII.

§. 209. Radius, qui alterum os *cubiti*, flectitur extenditurque a musculis, toti cubito communibus, iamque descriptis *capite primo & trigesimo*. Vt autem singulares sibi *pronationis supinationisque* motus edere posset, adhuc quatuor ipsi sunt musculi.

§. 210. PRONATOR TERES.

I. Oritur, (1) carneus, ab osse humeri, paullulum supra internum illius condylum: (2) tendineus & carneus, ab illa protuberantia (a): & (3) totus tendineus ab processibus *ulnae* anterioribus. *Origo.* EVST. T. 30.

II. Inseritur tenuis, & tendineo-carneus, medio externae partis *radii*. *Insertio.* EVST. l: c:

III. *Pronat* manum; hoc est, *radium*, una cum *carpo*, & omni manu, introrsum uertit, palmamque deorsum. *Actio.*

§. 211. PRONATOR QVADRATVS.

I. Oritur, latus, membranosus, & carneus, a parte inferiore ac interiore *ulnae*. Inde ortus fertur per transuersum: & *Origo.* EVST. T. 38. *in dextro.*

II. Inseritur, eadem latitudine seruata, exteriori & inferiori *radii* parti. *Insertio.* EVST. l: c:

III. Eumdem habet usum, quem prior (§. 210. III.) *Actio.*

In cane incumbit membranae, duo cubiti *ossa coniungenti, hisque adhaeret: ubi autem ad* in-

(*z*) ALBIN. §. 272. 6.

(a) Cohaeret ibi in adultis cum *flexoribus* (§. 176. 177.) ut & cum *palmari longo.* (§. 173.)

inferiorem ulnae finem peruenit, dimittit tendinem, oblique latum ad extremitatem radii, *cui immittitur.*

§. 212. SVPINATOR LONGVS.

Origo. EVST. I. c: I. Oritur, acutus ac carneus, ab exteriore eminentia *osſis humeri*, ſupra originem *bicornis* (§. 178. I.), ad duorum uel trium digitorum latitudinem.

Inſertio. EVST. I: c: II. Inſeritur parti externae ac inferiori *radii*, prope *carpum.*

Actio. III. *Supinat* manum; hoc eſt, *radium*, una cum *carpo* ac omni manu, extrorſum uertit, palmamque eius ſurſum mouet.

Hoc caret canis.

§. 213. SVPINATOR BREVIS.

Origo. I. Oritur, (1) tendineus, ab externa eminentia *osſis humeri* (α): (2) tendineo-carneus, ab externa ac ſuperiore *ulnae* parte, firmiter adhaerens membranae, coërcenti illorum osſium articulationem.

Inſertio. EVST. T. 39. F. I. II. Inſeritur interiori *radii* lateri, ſupra inſertionem *bicipitis* (§. 165. II.); praeſertim uero ſub illa.

Actio. III. Manu *ſupina*, *radium* retroducit: ſicque adſiſtit praecedenti (§. 212. III.)

(α) ALBIN. §. 272. 5.

C A-

CAPVT XXXIX.

MVSCVLI FEMORIS.

§. 214. **O***s femoris* ſexdecim nactum est musculos.

§. 215. ΨΟΑΣ MAGNVS.

I. Oritur, (1) carneus, a corpore imae *thoracis uertebrae*, a latere (α): (2) a lateribus *uertebrarum* omnium lumborum, totidem distinctis faſciculis carneis (β): (3) aliqua parte tendineus, ab omnibus illarum transuerſis proceſsibus (γ). *Origo.* EVST. T. 38.

II. Inſeritur, (1) tendineus, *trochanteri* minori *oſsis femoris* (δ): (2) carneus ipſi *femori*, paullulum, infra illum proceſſum (ε). *Inſertio.* EVST. l: c:

III. Flectit femur: dum illud antrorſum mouet. *Actio.*

§. 216. ILIACVS INTERNVS.

I. Oritur, (1) a toto interno labio partis ſemicircularis *ilium* (α): (2) a margine illius oſsis, inter eius anticam ſpinam atque *acetabulum* interiacente: & (3) a maxuma parte *costae* illius (a). *Origo.* EVST. l: c:

II. Vbi prior (§. 215.) tendineſcit, cum illo coit, eamdemque habet inſertionem. *Inſertio.* EVST. l. c.

III.

(α) ALBIN. §. 122. 2.
(β) *Idem* §. 121.
(γ) *Idem* §. 136.
(δ) *Idem* §. 200. 4
(ε) *Idem* l: c: 5.
(α) *Idem* §. 191. 2.
(a) Sinum leuem ſummae peluis orae, ſupra *acetabulum*, & ante *os ilium*, imprimit. V. ALBIN. §. 192. 7.

Actio. III. Flectit femur, idque recta antrorsum mouet, ubi progredimur.

§. 217. PECTINALIS:

Origo. EVST. T. 38. I. Oritur, latus ac carneus, a spina *ossis pubis*, id est, eius superiore ac interiore parte (α) (b).

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur, tendine plano breuique, *ossi femoris*, paulu lum sub *trochantere* minore (β).

Actio. III. Flectit os femoris, dum eleuat (c).

In cane oritur teres ac carneus ab osse pubis, *moxque in largum tenuemque tendinem abiens*, *interno* femoris condylo *infigitur*.

§. 218. GLVTAEVS MAXVMVS.

Origo. EVST. T. 34. & T. 29. I. Oritur (1) carneus, a superiore parte *ossis coccygis*: (2) membranosus & carneus, ab omnibus geminatis *sacri ossis* spinis, & una uel duabus infimis simplicibus eius; (3) ab omni exteriore latere eiusdem ossis, infra spinam posticam *ossis ilium* (α): (4) ab utroque ligamento, ab *osse ischio* ad *os sacrum* pertingente, altero nempe eorum ab illius *aspero processu*: altero uero, ab eius *tubere* oriundo (β): (quod utrumque illi origini imminet, magnae plicae instar:) (5) totus carneus, a parte marginis circularis *ilium*, plus, quam

(α) ALBIN. §. 186. 6.
(b) Decurrit in longiore *ossis pubis* sinu Vid: ALBIN. §. 193. 8.
(β) ALBIN. §. 200. 5.
(c) Potius introrsum illud ducit, ac circumrotat paullulum, ut dum poplitem genu imponimus.
(α) ALBIN. §. 191. 6.
(β) ALBI. §. 190. 2-4.

quam dimidia (γ): & denique (δ), a reliquo illius marginis anterius, gracili largoque tendine, per quem pars subiecti musculi conspici potest, qui & inseparabiliter cohaeret cum *membranosi* tendine.

II. Inseritur, magno crassoque tendine, *femori*, paullulum, infra maiorem *trochanterem*, ubi insignis asperitudo in uno latere superioris partis *lineae femoris asperae* (δ). *Insertio.* EVST. l: c:

III. Extendit femur, illud recta retrorsum ducendo (d). *Actio.*

§. 219. GLVTAEVS MEDIVS.

I. Oritur, carneus, a toto exteriori latere spinae *ilium* (α), excepta eius parte postica, ubi e *costa* illius ossis prodit (β). *Origo.* EVST. T. 34.

II. Inseritur, largo tendine, sed oblique lato, maioris *trochanteris* latitudini (γ). *Insertio.* EVST. l: c:

III. Iuuat priorem (§. 218. III.) (e). *Actio.*

§. 220. GLVTAEVS MINIMVS.

I. Oritur (1) carneus, ab inferiore parte exterioris uel posterioris partis *ossis ilium* (α): (2) antrorsum a latere *spinae* eius *anterioris* (β): & (3) posterius, a margine ingentis sui *sinus*. *Origo.* EVST. T. 36.

II. Inseritur, magno tendine, secundum lon- *Insertio.* EVST. l: c:

(γ) ALB. §. 191. 5.
(δ) ALBIN. §. 200. 5.
(d) Coccygem quoque ab illo eleuari posse, putat VVINSLOVV.
(α) ALBIN. §. 191. 5.
(β) *Idem* l: c: 3.
(γ) *Idem* §. 200. 2.
(e) Flectit quoque extrorsum, retrorsum.
(α) ALBIN. §. 191. 3.
(β) *Idem* l: c: 7.

longitudinem superioris ac anterioris partis maioris *trochanteris* (γ): & (2) uno exiguo, ceruici *ossis femoris* (δ); nempe, tendineae eius fibrae quaedam disperguntur supra membranam, inuoluentem illam ossis istius partem.

Actio. III. Iuuat duos priores, in extendendo femore (§. 218. III. 219. III.)

§. 221. *In cane primum* (§. 218.) *adpello* *GLVTAEVM EXTERNVM*, *qui nascitur membranosus a tota fere externa parte spinae* ilium; *haecque origo confluit cum alia*, *quae ab* osse sacro: *tum & exit e ligamento*, *quod inter* sacrum *os ac* ilium *protenditur*. *Inde procedens*, *circa subiecti musculi medium*, *fit totus carneus*, *inseriturque tendineus*, *paullulum infra maiorem* trochanterem, *extrinsecus*.

Secundus, *siue MEDIVS*; *qui & longe maior*, *oritur*, *carneus*, *a tota spina* ilium, *cuius concauam partem replet*, *inseriturque*, *tendineus*, *superiori ac exteriori* trochanteris *maioris parti*.

TERTIVS, *uel*, *INTERNVS*, *oritur carneus*, *a medio* ossis ilium, *extrinsecus*, *cuius utrique lateri*, *inter descendendum*, *adhaeret*. *Inseritur uero*, *partim tendineus*, *partim carneus*, *superiori atque interiori parti maioris* trochanteris.

Origo. EVST. T. 36. 38.

§. 122. PYRIFORMIS, *uel*, ILIACVS EXTERNVS.

I. Oritur, crassus, largus, ac carneus, ab inferiore parte *ossis sacri*, prope os *ilium*: ut & ab hoc osse, pro parte: inde sensim fit angustior;

(γ) ALBIN. §. 200. 2.
(δ) *Idem* §. 197. 1.

gustior, abitque in tendinem (f).

II. Immissum superiori parti sinus, qui ad maioris *trochanteris* radicem (α). *Insertio.* EVST. l: c:

III. Eleuat *os femoris*, idque aliquantum rotat extrorsum. *Actio.*

§. 223. MARSVPIALIS; *uel*; OBTVRATOR INTERNVS.

I. Oritur, corpore carneo, ab *ossibus innominatis*; interiorem περιφερειαν magni foraminis, quod ossa, *ischium* & *pubis*, formant (α), ambiens. Intrinsecus est tendineus, diuiditurque in plures, minores musculos, ante insertionem suam unitos (a). *Origo.* EVST. T. 29. EVST. T. 37.

II. Inseritur sinui descripto (§. 222. II.) *Insertio.*

III. *Os femoris* rotat oblique, &, per semicirculum, extrorsum: sicque opem fert priori (§. 222. III.) EVST. l: c: *Actio.*

§. 224. GEMINI.

I. Hi sunt duo, ipsa re distincti musculi, (h), connexi, ope musculosae membranae, tam supra, quam infra; sicque formant, si ita dicere licet, *marsupium*, pro condendo *marsupiali* (§. 223. II.) tendine. Superior enascitur ex acuto processu ossis *ischii* (α); inferior uero *Origo.* EVST. T. 37.

(α) ALBIN. §. 200. 3.
(α) *Idem* §. 189. 3.
(f) Egreditur e pelui, per ingens foramen, descriptum ALBIN. §. 192. 4.
(g) Quatuor, uel quinque, qui & ipsi ossi sua nonnumquam imprimunt uestigia. Elabitur autem hic musculus ex pelui, per hiatum, inter tuber *ossis ischii*, & duo *ligamenta*, ab illo tubere ad os sacrum pertingentia, iam descripta (§. 218. I.) & mox repetenda, relictum.
(h) Alii eos pro uno habent: contrarium sensisse uidetur EVST.
(α) ALBIN. §. 190. 4.

uero ex exteriore parte tuberis illius osſis (β): ut & ab *ligamento*, quod a dicto osſe ad *ſacrum os* protenditur (γ).

Inſertio. EVST. T. 29. II. Vterque inſigitur eidem cauitati (§. 222. II.)

Inter paruos hosce duos musculos procedit *marſupialis* (§. 223. III.) tendo ad inſertionem ſuam.

Actio. III. Seruiunt non ſolum extrorſum rotando osſi femoris; ſed & cauent, ne tendo ille immisſus uel laedatur a duro ſinu *osſis ischii*, per quem transit; uel exſiliat ex illa cauitate, ubi *marſupialis* (§. 223.) contrahitur agens.

§. 225. QVADRATVS FEMORIS.

Origo. EVST. T. 29. I. Oritur, latus, tendineus & carneus, a latere exteriori tuberis *osſis ischii*. (α): Inde procedit transuerſus.

Inſertio. EVST. l: c: II. Inſeritur exteriori lateri maioris *trochanteris*, & infra eum, usque ad minoris initium (β).

Actio. III. *Os femoris* extrorſum ducit.

In cane exit de tuberculo osſis ischii, *huiusque antica parte, prope magnum* foramen.

§. 226. TRICEPS.

Hoc ſub titulo, quatuor, distinctos certe, comprehendo musculos, quibus, ab actione ſua, ſequentia nomina impono,

ADDVCTOR FEMORIS PRIMVS.

I. O-

(β) ALBIN. §. 188. 1.
(γ) *Idem* §. 190. 2,
(α) *Idem* §. 188. 1.
(β) *Idem* §. 200. 1.

I. Oritur, forti tendine ac teretiusculo, a ſuperiore parte *oſſis pubis*, prope *pectinaeum* (§. 217.), ſupra *gracilem* (α). Sic ortus, adcipit compactum uentrem, & *Origo.* EVST. T. 36.

II. Inſeritur, tendineus, circa medium *lineae aſperae*, ſupra quam, per quinque, uel ſex pollices, continuatur (β) dato ante tendine, qui cum illo quarti capitis confluit. *Inſertio.* EVST. l: c:

ADDVCTOR FEMORIS SECVNDVS.

I. Oritur, tendine lato, ſed, maxumam partem, carneo principio, ab oſſe pubis, immediate ſub *gracili* (α). *Origo.* EVST. T. 33.

II. Inſeritur *lineae aſperae*, a parte eius, quae mox ſub *trochantere* minore, usque ad priorem *primi adductoris* inſertionem (β). *Inſertio.* EVST. l: c:

ADDVCTOR FEMORIS TERTIVS.

I. Oritur ab exteriori margine *oſſium pubis iſchiique*, inferius, quam praecedens (α). Inde decurrit, obliquus, *trochanterem minorem* uerſus. *Origo.* EVST. T. 36. in ſiniſtro.

II. Et infigitur, prope *glutaeum* (§. 218. II.) (β). *Inſertio.*

ADDVCTOR FEMORIS QVARTVS.

I. Oritur, tendineus & carneus, a protuberantia *oſſis iſchii*, & eiusdem oſſis interiore parte, quae illi proxima. (α). *Origo.*

(α) ALBIN. §. 189. 2.
(β) *Idem* l: c: §. 200. 5.
(α) *Idem* §. 189. 2.
(β) *Idem* §. 200. 5.
(α) *Idem* §. 189. 2.
(β) *Idem* §. 200. 5.
(α) *Idem* §. 188. 2.

Infertio. II. Inferitur, tendine longo & terete, fuperiori, partique afperae inferioris ac interni procesfus *osfis femoris*, cui, paullulum fupra eius *condylum*, ut & parti cuidam *lineae asperae*, adfigitur. (β).

Actio. III. Cuncti hi quatuor musculi, pro diuerfa fibrarum fuarum directione, os femoris introrfum ducunt.

§. 227. OBTVRATOR EXTERNVS.

Origo. EVST. T. 38. I. Oritur, carneus, ab omni inferiore parte *osfium*, *pubis* & *ischii*, circumambiens exteriorem magni illorum *foraminis* marginem, arcteque adhaerens illius membranae (α).

Infertio. EVST. l: c: II. Inferitur, ualido tendine, cauitati defcriptae (§. 222. II.)

Actio. III. Os femoris oblique extrorfum rotat.

§. 228. *Ceteroquin in cane adhuc alius, paruus, carneus obferuatur musculus, PARVVS, IN ARTICVLATIONE FEMORIS SITVS, nominandus; enimuero, ubi ab* osfe ilium, *prope marginem cauitatis eius*, acetabulum *dictae, exortus est: procedit oblique, fupra* femoris *articulationem, cui osfi quoque, inter* uastum internum *atque* cruraeum *medius, immittitur.*

(β) ALBIN. §. 200. 5.
(α) ALBIN. §. 189. 3.

C A-

CAPVT XL.

MVSCVLI COCCYGIS.

§. 229. *Coccyx*, hoc est, os, *ossis sacri* extremitati adiunctum, in quouis latere, unum habet musculum, qui iamdicatur.

COCCYGAEVS * * * (a).

I. Oritur, tendineo-carneus, ab acuto processu *ossis ischii* (α), inter ligamentum, ab illo ad *sacrum os* productum (β), unumque *geminorum* (§. 224. I.) caput, medius. Vbi ita angustus natus est, sensim sensimque expanditur in gracilem uentrem, cui tamen quaedam fibrae tendineae intersperguntur. *Origo.* EVST. T. 37.

II. Inseritur (1) toti *ossis coccygis* longitudini, a latere (γ): & quandoque, adhuc (2) inferiori parti *ossis sacri*. *Insertio.* EVST. l: c.

III. Induratis *faecibus* eiectis, *coccygem* introrsum, siue antrorsum ducit (b). *Actio.*

Quaerendo musculum, cuius mentionem iniicit RIOLANVS, titulo LEVATORIS ANI QVINTI, *coccygi, & ossis sacri extremo*, ut scribit, *adfixum*; huncce *coccygaeum* feliciter detexi.

§. 230. Duo ligamenta, *coccygaeorum* (§.

 229.

(a) Hunc VVINSLOVV adpellat *ischio-coccygaeum*; nam & demonstrat alterum, ab *osse sacro* oriundum: qui ipsi *sacro-coccygaeus*.

(α) ALBIN. §. 190. 4.

(β) *Idem* l: c: 3.

(γ) *Idem* §. 147.

(b) Alii uero contendunt, illum extrorsum ducere coccygem, ubi uel foeces eiiciundae; uel foetus excludendus.

229. III.), actioni opposita, describam in descriptione mea *comparata de ossibus*, breui edenda.

§. 231. *Cauda canis, quae tantum est productus* coccyx, *uarie mouetur a pluribus musculis; quibus uero, sigillatim describendis, nolim uel mihi molestus esse, uel lectori.*

CAPVT XLI.

MVSCVLI TIBIAE.

§. 232. Cruri, quod componunt duo ossa, *tibia* ac *fibula*, undecim adplicantur musculi; quorum illi, qui, ab *osse innominato* oriundi, alterutri cruris ossi inseruntur, ad totum crus pertinere dicuntur: illi uero, qui, ex *osse femoris* prodeuntes, *tibiae* infiguntur, huic soli habentur proprii.

§. 233. MEMBRANOSVS.

Origo. EVST. T. 28. I. Oritur, angustus, tendineus ac carneus, ab antica *spinae ilium*, extrinsecus. Vbi paullulum infra maiorem *trochanterem* peruenit (α), uenter eius carneus iam degenerat in uerum tendinem, qui, descendens, firmiter adhaeret toti *asperae lineae* (β), ambosque *uastos* & *rectum* integit.

Insertio. EVST. T. 29. II. Proprie inseritur superiori *tibiae* processui, a latere; illius inter tuberculum, *fibulaeque* caput medius; deorsum uero elongatur adhuc, pro inuoluendo *tibiali antico*. Ab inte-

(α) ALBIN. §. 200. 1.
(β) *Idem* l: c: 5.

interiori autem femoris latere descendit supra tibiam; neque tamen obseruaueris, eum, per omnem illum tractum, *tibiae* capiti ullibi firmiter adnecti.

III. Extendit tibiam, eamque rotat aliquantum extrorsum. Larga uero eiusdem ἀπονευρωσις subiectos sibi musculos in propriis suis locis continet; sicque actiones eorum intendit quam maxume (a).

In cane, illius loco, duo, uere distincti, uidentur musculi. Illorum superior, nascitur a spina *ac dimidia* costa ossis ilium, *abitque, ubi supra* rectum *recta descendit, in crassum uentrem: ad distantiam uero trium, uel quatuor, pollicum, infra originem suam, expanditur in membranosum tendinem, cum* patellae, *tum* tibiae *capiti, insertum.* Fascia *haecce tendinea protenditur porro supra eiusmodi expansionem* bicipitis: *quae utraque inuestit omnes eiusdem lateris musculos, ad tarsum usque. Quum iam binarum harum* fasciarum *fibrae in diuersa ferantur, id est, sese decussent mutuo; constat omnino, quantum robur addant musculis, quibus incumbunt?*

Inferior, gracili, carneoque principio, a superiore costa ossis ilium *natus, aliquantum infra illam, membranescit, firmiterque adfixus interiori* ossis femoris *parti, supra* uastos & rectum *extenditur. Infra maiorem* trochanterem *uero tendinea haecce expansio coit cum tali* glutaei (§. 221.) *elongatione.*

§. 234. SARTORIVS.

(a) Carneus ipsi innascitur musculus, qui *tibiam extendentes*, quando extendunt, reprimat: hinc in erecto homine illi musculi non protuberant.

Origo. EVST. T. 32. 35. I. Oritur, tendineus, ab anteriore parte *spinae ossis ilium*, intrinsecus: tum illico fit carneus: & descendit, primo aliquantum supra *rectum*, tum, oblique introrsum supra *uastum internum*, &, circa *ossis femoris* medium, supra partem *tricipitis* (§. 226.); inter cuius tendinem, & *musculum gracilem* pergit ulterius deorsum.

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur anteriori *tibiae* parti intrinsecus, prope *spinam* eius, haud procul ab inferiore parte illius processus.

Actio. III. Crus mouet oblique, uel efficit, ut crus unum femur alterum decusset.

In cane oritur carneus, a costa, *prope* spinam *intrinsecus, finitque superius in interiorem partem eminentiae, quae in* tibiae *medio.*

§. 235. RECTVS.

Origo. EVST. T. 35. I. Oritur, (1) carneus, a tuberculo, quod in inferiore parte anterioris *spinae ilium* (α): (2) tendineus, a *costa ilium*, paullulum supra *acetabulum* (β).

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur, tendineus, supremae parti *patellae* (b).

Actio. III. Extendit crus.

In cane oritur, tam tendineus, quam carneus, ab inferiore parte costae ossis ilium, *&, magnum, teretemque uentrem recipiens, descendit, ut in homine.*

§. 236. VASTVS EXTERNVS.

I. Oritur (1) latus, tam tendineus, quam car-

(α) ALBIN. §. 191. 9.
(β) *Idem* l: c: 3.
(b) Notetur fibrarum decursus, omnium optume l: c: expressus ab EVST.

carneus, a magno *trochantere* (α): & (2), prope insertionem *glutaei* (§. 220. II.), oblique extrorsum, supra maiorem *trochanterem*, usque ad *lineam asperam* (β); uel potius, a tota aspera linea, carneis fibris, oblique antrorsum decurrentibus ad tendinem medicum, cui immittuntur.

II. Inseritur *patellae* capiti, a latere. *Insertio.*

III. Idem efficit, quod praecedens (§. 235. III.) EVST. T. 33. 36. *Actio.*

§. 237. VASTVS INTERNVS.

I. Oritur, tendineus & carneus, (1) inter anteriora *ossis femoris*, minoremque *trochanterem* medius: & (2) a toto fere interiori latere *lineae asperae* (α), unde fibrae eius carneae oblique antrorsum deorsumque eunt, & quidem inferius, quam quidem praecedentis musculi (§. 236. I.). *Origo.* EVST. T. 36. 33.

II. Inseritur, tendineus, interiori *patellae* lateri; ibique a tendine illo procedit ἀπονεύρωσις supra musculos, infra *tibiae* caput positos. *Insertio.* EVST. T. 33.

III. Leuando tibiam, illam extendit. *Actio.*

In cane oritur a collo femoris *intrinsecus.*

§. 238. Ab inferiori *patellae* latere descendit ualens crassumque ligamentum, inditum *tuberculo*, quod in parte anteriore ac suprema tibiae. Eius auxilio tibia aeque facile extenditur, ac si extensorum tendines illi ipsi insererentur (α)

K 4 §. 239.

(α) ALBIN. §. 200. 1.
(β) *Idem* §. 200. 5.
(α) *Idem* l. c.
(α) *Idem* §. 204. 2. 3.

§. 239. CRVRAEVS. (c).

Origo. EVST. T. 33. I. Oritur, carneus, inter utrumque *trochanterem femoris*: & adhaeret toti fere anteriori parti *ossis* illius.

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur, tendineus, *patellae*, sub *recto* (§. 235. III.)

Actio. III. Iuuat extendere tibiam.

§. 240. *Cani adhuc* quintus extensor, *quem, quia demonstretur opus est, primus iam uoco EXTENSOREM TIBIAE PRIMVM, CANI PROPRIVM. Hic exoritur a* spina *& dimidia* costa ossis ilium: *ubi descendit, adhaeret* sartorio (§. 234.), *membranae ope, infigiturque* patellae.

§. 141. GRACILIS.

Origo. EVST. T. 28. 35 I. Oritur, tenui ac lato tendine, ab *osse pubis*, prope eius *commissuram* (α). Post, illico fit tendineus, descendensque, per interna femoris.

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur tendineus, interiori *tibiae* lateri, prope *sartorium* (§. 234. II.)

Actio. III. Femur, atque crus, flectit introrsum.

In cane oritur; tendine paruo, a tubere ossis ischii, *adscenditque, per obliquum, ad inferiorem & anteriorem* ossis pubis *partem. Vbi eo peruenit, fertur paullulum per transuersum recta; sicque vnitur pari suo, eodem modo* pro-

(c) Hic pars *uasti* (§. 237.) habitus est a VESAL. Descripti uero omnes (§. 235. 237. 239.) coëunt ad insertionem suam communem; hincque unum *quadricipitem* constituunt: ut notat rectissime COVVP: p: 202. Qui & insignia de eorum actione ibidem tradit.

(α) ALBIN. §. 189. 2.

procedenti, *ubi sese decussant inuicem. Prope terminationem suam*, *demittit tendinem supra* tibiam; *ut & aliam expansionem membranosam*, *quae cum talibus* bicipitis & membranosi (§. 233. II.) *productionibus confluit.*

§. 242. SEMINERVOSVS.

I. Oritur, carneus, eadem cum longiori *bicipitis* capite origine, a postica protuberantiae *ossis ischii* (a) (α). *Origo.* EVST. T. 34. 29.

II. Inseritur, plano tendine, interiori lateri spinae *tibiae*, ad pollicis circiter distantiam infra insertionem *ligamenti* (§. 238.). *Insertio.* EVST. l: c:

Circa *tibiae* caput, ab musculi huius tendine deriuatur expansio *tendinea*, deorsum continuata supra interioris tibiae musculos.

III. Tibiam flectit retrorsum, eamque paullulum introrsum ducit. *Actio.*

§. 243. SEMIMEMBRANOSVS.

I. Oritur, tendineus, a superiore parte tuberis *ossis ischii* (α). Vbi descendit, succumbit *bicipitis* capiti, inter quod, & praecedentem musculum (§. 242.), fertur deorsum per posteriora femoris. *Origo.* EVST. T. 29.

II. Inseritur, tendineus, superiori ac posteriori parti capitis *tibiae:* ubi pars huius aliqua confunditur cum *ligamento*, quod, a *tibia* natum, utrique inseritur *condylo*; uel forsitan a *condylis* ortum, inditur *tibiae.* *Insertio.* EVST. l: c: & T. 30.

III. Flectit tibiam, illa recta retrorsum agendo. *Actio.*

§. 144. BICEPS.

K 5 I. O-

(a) Huius uenter incumbit *semimembranosi* uentri: tendo uero illius huius tendini subiacet.

(α) ALBIN. §. 188. 2.

(α) *Idem* §. 188: 1.

Origo. 1. EVST. T. 34. 29. 2. EVST. T. 36. *in finistro.* I. Oritur dupliciter: (1) *superius*, corpore tendineo ac carneo, ubi *femineruosus* (§. 242. I.); (2) *inferius*, capite acuto & carneo, a *linea aspera*, paullulum infra infertionem *glutaei* (§. 218. II.): inde defcendit, femper latefcens magis, donec cum priori capite coeat.

Infertio. EVST. l. c. II. Inferitur, tendineus, fuperiori *fibulae* capiti (α), ita tamen, ut & pars tendinis quaedam ad uicinum *tibiae* caput pertingat.

Prope infertionem fuam, dat expanfionem tendineam, productam fupra musculos, ueftientes exteriora cruris.

Actio. III. Flectit crus.

In cane musculi huius principium crasfisfimum ac maximum est partim a tubere osfis ischii, *partim a ligamento, ueniente a* facro osfe *ad illam* osfis ischii *eminentiam. Vbi defcendit, dilatatur in amplum uentrem; qui &* gastrocnaemii *parti incumbit. Caput alterum; paruum, teres, ac carneum, procedit ab eodem ligamento, ope longi paruique tendinis. Post iunguntur ambo haecce capita, circa poplitem, in unum musculum, qui, paullulum infra illum, tendinem recipit, fuperiori ac anteriori parti fpinae* osfis tibiae *infertum. Latam infuper dat, tendineamque fasciam, quae, ubi ad tarsum defcendit, arcte cohaeret medio anterioris* tibiae, *ac circumdatur musculis omnibus, qui in exteriore cruris parte: pars uero eiusdem postica producit distinctum tendinem, qui, cum* chorda magna *coiens, osfi* calcis *adfigitur.*

§. 245 POPLITAEVS.

I. Oritur, tendine terete, a margine ſinus, qui in inferiore parte exterioris *condyli femoris*, poſteriora uerſus. Inde exiens, progreditur ſub *ligamento*, inuoluente articulum: arcteque adnatus parti *catilaginis lunatae* (α), ubi ligamentum illud perforauit, iam fit carneus, coiturus cum altera, carnea, origine, quae ab eadem membrana. *Origo.* EVST. T. 36.

II. Inſeritur ſuperiori *tibiae* parti, intrinſecus (β). *Inſertio.* EVST. l: c:

III. Tibiam oblique extrorſum mouet; quin & adcommodatus est illi flectendae. *Actio.*

(α) ALBIN. §. 203. 7.
(β) ALBIN. §. 210. 2.

CAPVT. XLII.

MVSCVLI TARSI.

§. 246. *Tarſus* mouetur a ſex musculis.

§. 247. EXTENSOR TARSI SVRALIS; *uel*; EXTENSOR MAGNVS.

I. Oritur, quatuor capitibus; quorum bina exteriora musculum conſtituunt, *gastrocnaemius externus*, uel & *gemellus*, uulgo adpellitatum.

I. Principum alterum est, duplici tendine, craſſo ac breui, a parte postica interni *condyli femoris*; tum & ab ipſo femore, aliquantum ſupra illum *condylum*. Alterum est tendineum a tuberculo, quod in exteriore *condylo*, praeciſe ſub *poplitaei* origine (§. 245. I.); *Origo.* EVST. T. 34. 29.

I.); id uero mox fit carneum (a). Ventres horum, paullulum infra articulum, coëunt in medium, tendinem: ad mediam uero *tibiam* iam omnem perdunt carnem.

Capita bina intima cognita fuere hactenus adpellatione *solaei* & *gastrocnaemii interni*.

Origo. EVST. T. 29. 34. I. Principium alterum exit e superiore & posteriore parte processus *fibulae*: a cuius postica per aliquod spatium, infra occursum tendinum, quasdam *fibrillas carneas* nanciscitur. Alterum autem nascitur a postica *tibiae* (α), circa mediam carnem *poplitaei* (§. 245.): sicque pergit nasci ab illo ossis latere, tam inferne, quam alterum caput.

EVST. l: c: Tendines, a quatuor hisce originibus producti, efficiunt, coalitu suo, unum, ingentem tendinem, cui *chordae magnae*, uel, *tendini Achillis* nomen.

Insertio. EVST. l: c: II. Inseritur superiori ac posteriori *ossis calcis* parti (β). Hocce uero os quum ultra *tibiam* productum sit; inde fit insignis distantia, *tibiam* inter, & illum tendinem.

Pars media, ut & superior, binorum duorum inferiorum capitum, gaudet quoque, loco, inter ossa, a quibus oriuntur, medio, tendineo margine, cui arcus figura, sub quo magna uasa, aliaque, ad crus pertinentia, procedunt:

Actio. III. Tarsum retrahendo, deorsumque ducendo, illum extendit.

In

(a) Hisce originibus inesse duo *ossa sesamina* notant VESAL. & RIOLA. L: V. C: XLIII; quae uero alii habent induratos tendines.

(α) ALBIN. §. 210. 6.

(β) IDEM §. 213. 4.

In cane uero, duo tantum exſiſtunt capita, eademque tendinea & carnea, a binis oſſibus ſeſaminis, *quae ad duos* femoris condylos: *unumque carneum, ab inferiore parte* femoris.

§. 248. EXTENSOR TARSI MINOR; *uulgo*; PLANTARIS.

I. Oritur, anguſtus, tenuis ac carneus, a *Orig.*
parte ſuperiore, eademque poſtica exterioris EVST.
eminentiae *oſſis femoris*; inter deſcendendum, l: c:
adhaereſcens membranae, obductae articulo. Mox uero mutatur in longum, gracilem, tenuemque tendinem, qui, emergens inter *extenſoris* (§. 247.) uentres, deſcendit iuxta magni tendinis (§. cit.) internum latus: &

II. Inſeritur (1), infra *magnam chordam* *Inſertio.*
(§. cit.), extremitati *oſſis calcis* (α): & quan- EVST.
doque, praeterea, (2) ipſi illi oſſi, a latere, l: c:
tendine duplici (b).

III. Iuuat praecedentem (§. 247. III.), *Actio.*
in extendendo tarſo.

In cane uenter huius muſculi eamdem cum flexore digitorum communi *habet originem, cui quoque, in deſcenſu ſuo, per ſat magnum ſpatium adhaeret, ab illo haud ſeparandus: finit uero, diſtincto tendine, in* os calcis.

§. 249. Ἀπονευρωσις *tendinea*, quae, proxi- CAS-
me ſub pinguedine adparens, obducta muſcu- SER. T.
lis, in planta pedis ſitis, duas habet, anguſ- 42. F. 1.
tas, origines; a parte inferiore ac poſteriore D. D. D.
oſſis calcis, prope ortum *muſculi ſublimis*. O- utcumque.
rigo

(α) ALBIN. §. 213. 4.
(b) Errat COVVP. p. 207. dum ἀπονευρωσιν, mox deſcribendam, tendinem huius muſculi adſtruit.

rigo eius longisſima firmiter cohaeret cum parte carnea memorati musculi: illius uero margo membranoſus & extenditur ſupra adcumbentem *abductorem pollicis*, &, hunc inter musculum & *perforatum*, oſſibus adnectitur inferius.

Diuiditur porro in quatuor tendines, quorum ſinguli mox rurſum finduntur in duos, ut uia paretur *flexoribus digitorum*. Tandem ſe immittit, ab utroque latere, cartilagini, obductae primo digitorum articulo. Naſcitur eadem haec expanſio ſecundo, ab eodem *oſſe calcis*, ſed magis exteriora uerſus: inde, antrorſum lata, obducit ſe dimidiae *abductoris minimi digiti* parti, priori tamen origini adhaerens, per medium tendinem. Atque haec partim inſeritur ſuperiori parti *oſſis metatarſi minimi digiti*; partim, tendine longo, in extremitatem *oſſis metatarsi*, prope eius articulationem cum tertio digito. Subiecta defendit a compreſſu, dum ſtamus, ambulamus &c.; & praeterea iuuat flexionem primi digitorum internodii, deprimendo cartilagineum illud corpus.

§. 250. TIBIALIS ANTICVS (c).

Orig. EVST. T. 35. 28. BIDL. T. 81. E. I. Oritur, tendineus & carneus, a medio ſuperioris proceſſus *tibiae* extrinſecus (α): inde descendit ad latus, ſupra exteriora tibiae, a qua quoque, membranam, quae illam adligat *fibulae*, ut & ab ipſa hac membrana (β), diſperſas fibras carneas recipit. Circa inferiora *tibiae* uadit ſub *annulari ligamento*.

II.

(c) *Musculus catenae* dicitur a SPIGEL.
(α) ALBIN. §. 210. 5.
(β) *Idem* l. c. 1.

II. Inseritur, (1) grandi tendine, interiori lateri *ossis cuneiformis maioris*, quod *ossi metatarsi pollicis* proximum (γ): &, (2) tendine paruo, superiori parti dicti ossis *metatarsi*, lateraliter (δ). *Insertio.* EVST. l: c:

III. Flectit tarsum, dum eleuat. *Actio.*

In cane oritur, carneus, a superiore ac anteriore parte tibiae, *& explet omne cauum, quod inter* extensorem digitorum pedis communem, *& tenuem, osseam spinam, quae circa superiora* tibiae, *quibus quoque, inter descendendum, firmiter adfixus, relinquitur. Paullulum infra* ligamentum, *quod ipsi circumdatur, procedit ad omnes* pollicis pedis *articulos: quos ergo extendit.*

§. 251. TIBIALIS POSTICVS.

I. Oritur (1) angustus & carneus, a parte anteriore *ossis tibiae*, praecise sub eius processu, *fibulae* uicino (α): inde ortus, se penetrat per superiorem partem ligamenti interossei (β); tumque pergit oriri (2) a parte postica *fibulae* intrinsecus (γ) a dimidio fere superioris partis *tibiae*, & a ligamento interosseo. *Origo.* 2. EVST. T. 37.

II. Postquam per *fissuram* ad internum malleolum transiit (δ); inseritur, tendineus, *superiori* parti *ossis nauicularis* intrinsecus, a latere (ε). Tendo ille tamen continuatur usque ad os *cuneiforme medium* (η), fibrasque aliquas ten- *Insertio.* BIDL. T. 85.

(γ) ALBIN. §. 235. 4.
(δ) *Idem* §. 241. 1.
(α) *Idem* §. 210. 6.
(β) *Idem* l: c: 1.
(γ) *Idem* l: c: 9.
(δ) *Idem* l: c: 11.
(ε) *Idem* §. 235. 2. 3.
(η) *Idem* l: c: 5.

tendineas, & *ossi calcis* (θ), & *flexori pollicis breui* impertit.

Actio. III. Tarsum introrsum ducit (a).

In cane est tantum exiguus musculus, carneo corpore, oriundus, a postica ossium cruris, inter flexorem digitorum profundum & subpoplitaeum (§. 245.) *medius; tum, circa* tibiae *medium, in gracilem longumque mutatus tendinem, eodem confluit cum memorati* flexoris *tendine, paullo ante, quam hicce, in suo ad digitos itinere, diuiditur in partes.*

§. 252. PERONAEVS PRIMVS, *seu*, POSTICVS.

Origo. EVST. T. 36. in dextro. I. Oritur (1) tendineo-carneus, a parte antica capitis *fibulae*, atque mox satis teretem sibi uentrem adquirit, rectis constantem, carneis, ac compressis fibris: (2) pluribus tenuibus ac carneis fibris, a parte superiore ac exteriore *fibulae*, ubi in teretem marginem protuberat (α): (3) a sinu, qui inter illum marginem, & anticam *fibulae* spinam. Longus eius tendo procedit, per sinum, ad externum malleolum, una cum sequente (β): tum, reflexus in cauitatem calcanei (γ), decurrit, plantae pedis musculis subiectus, per omnem longitudinem sinus, qui in *osse cubiformi* (δ).

Insertio. II. Inseritur parti exteriori superioris *ossis me-*

(θ) ALBIN. §. 216. 2.

(a) Agit praecipue, ubi nautae antennas adscendunt.

(α) ALBIN. §. 210. 8.

(β) *Idem* l: c: 10.

(γ) *Idem* §. 216. 1.

(δ) *Idem* §. 235. 9.

metatarsi, ubi pollicem pedis sustinet (ε): (2), fibrarum nonnullarum tendinearum ope, uni *ossi cuneiformi*, illi *metatarsi ossi* uicino. (η).

Os cartilagineum, in tendine huius musculi reperiundum, primoque, ni fallor, a VESALIO detectum, sinuatum obseruaui, ut eo commodius reciperet paruam eminentiam, quae in *osse cuboide*, cui, ut trochleae, incumbit.

III. Tarsum extrorsum mouet: (2) illum flectit ex parte. *Actio.*

In cane oritur carneus, & aliquantum tendineus, a latere exteriore fibulae, *praecise, ubi iam incipit firmiter adhaerere* tibiae, *a cuius quoque parte aliqua carneum sibi sumit principium: finit tandem in illud* metatarsi os, *cui index digitorum pedis continuatur.*

§. 253. PERONAEVS SECVNDVS, *uel*, ANTICVS.

I. Oritur carneus, (1) acuto principio, ab exteriore *fibulae* parte, supra eius medium (α): (2) ab exteriore latere spinae anterioris eiusdem ossis: & (3) a terete eius margine extrinsecus, posteriora uersus. Tendo pergit per *fissuram* ad externum malleolum (β), ubi, cum praecedente (§. 252. I.), inclusus ligamento; ulteriusque progressus, decurrit sub alio, sibi singulari. *Origo.* EVST. T. 36. 30.

II. Inseritur superiori ac anteriori parti *ossis* *Insertio.* EVST. l: c:

(ε) ALBIN. §. 241. 1.
(η) *Idem* §. 235. 4.
(α) *Idem* §. 210. 8.
(β) *Idem* l: c: 10.

BIDL. T. 82. B. *ossis metatarsi* minimi digiti pedis (γ), plurimis fibris tendineis, quarum una, uel duae recta deorsum feruntur, coiturae cum tendine, illum extendente digitum.

Actio. III. Tarsum digitosque pedis extrorsum ducit.

In cane ipsi progressus est omnino idem, qui in homine: sed diuersa origo: oritur enim ibi ab eminentia, quae in capite tibiae, *prope* fibulam, *a latere:* & (2) *a* fibulae *parte superiore.*

(γ) ALB. §. 241. 2.

CAPVT XLIII.

MVSCVLI, QVATVOR MINORIBVS DIGITIS PEDIS COMMVNES.

§. 254. Musculi digitorum pedis uel sunt communes quatuor minoribus omnibus; uel pollici digitorum, ac minimo digito proprii; uel ad utrumque hunc pertinent.

§. 255. Digitos quatuor minores omnes mouent quindecim musculi; duo scilicet *flexores*; totidem *extensores*; quatuor *lumbricales*; & septem *interossei*.

§. 256. EXTENSOR LONGVS.

Origo. CASSER. T. 40. F. 2. G H H K K. (1) Oritur (1) angustus tendineus ac carneus, a superiore ac exteriore parte capitis *tibiae*, prope *fibulam* (α): (2) carneus, a *fibulae* supe-

(α) ALBIN. §. 210. 5.

periore parte (β). Tum, diuisus in quatuor tendines, progreditur, *ligamento annulari* coërcitus.

II. Inseritur parti superiori ossis secundi cuiusuis minoris digiti. *Insertio.* BIDL. T. 82. D. CASSER. l. c.

III. Extendit articulos omnes quatuor minorum digitorum. *Actio.*

In cane exit, terete tendine, ex anteriore parte externae femoris apophyseωs, *prope* patellae *canalem. Inde ortus, procedit per* sinum, *qui in* tibiae *capite, fitque carneus: ac ita per illud os descendit, donec, ad eius extremitatem, sub ligamento procedat, in quatuor diuisus tendines, superiori parti cuiusuis digiti insertos, prope ungularum initia. Vbi articulos supra-scandunt, adfiguntur firmiter* sesaminis ossibus.

§. 257. *Tam in postico, quam in antico canis pede, duo lustrari possunt ligamenta, ultimum cuiusuis digiti os erectum suspensumque continentia. Eadem ergo, currente cane, extensori illi succurrunt in actione sua: uel & sola eius munia explent, ne extensor ille semper agat. Ast de illis plura in* descriptione *mea* comparata ossium.

§. 258. MVSCVLVS, PEDEM MOVENTIVM NONVS VESAL: re uera distinctus ab *extensore* (§. 256.) uidetur; oriundus a *spina fibulae*, circa eius medium, ubi membrana interossea adfigitur, permultis fibris carneis, quae ad tendinem suum oblique deorsum feruntur, ut *stamina* plumae. Inseritur ille tendo, saepe uero in duos uel EVST. T. 29. *Idem* T. 35.

(β) ALBIN. §. 210. 7.

uel tres fisſus, ſuperiori parti *osſis metatarsi* minimi digiti (a).

Qui musculus in canino corpore numquam repertus.

Origo. CASSER. T. 39. F. I. L.

§. 259. EXTENSOR BREVIS.

I. Oritur, carneus, & aliquantum tendineus, ab antica *osſis calcis* extrinſecus, ubi *os cuboides* adtingit: inde expanditur in uentrem carneum, facile in quatuor partes diuidendum, proceditque, praecedentis (§. 256.) tendinibus ſuccumbens, per dorſum pedis.

Inſertio. CASSER. l: c: MMMM. II. Immittitur, quatuor tendinibus, osſi ſecundo digitorum.

Actio. III. Extendit illos pedis digitos.

In cane musculus hic uidetur duplex, oriundus a ſuperiore ac anteriore parte osſis calcis, *ubi extrinſecus cum* astragalo *committitur, & quidem alter, principio tendineo, alter, carneo. Musculus interior, mox carneus factus, unum tantum producit tendinem, digito, qui pollicem excipit, inſertum, incluſumque, circa medium primi internodii, tendinis* longi (§. 256.) *Exterior autem reliquis digitis ſuos largitur tendines.*

§. 260. PERFORATVS, *uel*, FLEXOR SVBLIMIS.

Origo. BIDL. T. 85. I. CASSER. T. 42. F. 2. D D.

I. Originem habet angustam & carneam, ab *osſe calcis*, ubi inferius protuberat (α), inter pollicis pedis minimique digiti *abductores* mediam: inde, deſcendens, abit in crasſum, uentrem.

II.

(a) Et tertii *minoris digiti metatarſi osſi* eumdem inſeri ſcribit ALBIN. §. 241. l: c:

(α) ALBIN. §. 216. 3.

II. Inſeritur, quatuor tendinibus, fisſis, coeuntibus, ſe mutuo interſecantibus, rurſumque diuiſis, & ad osſium latera adpresſis, ſecundae *phalangi* minorum digitorum quatuor, aeque, ac illi in manu (§. 181. II.) *Inſertio.* BIDL. l. c: CASSER. l: c: aaaa.

III. Flectit ſecundum internodium illorum digitorum.

In cane oritur (1) *carneus, a parte postica externi* condyli osſis femoris: (2) *paullulum tendineus, ab* osſe ſeſamino, *laxe adhaerente illi* condylo. *Carne ſua, ſuccumbit* gastrocnaemio, *uel* extenſori furali (§. 247.) *a cuius quoque exteriori capite ſeparari potest, ſed difficulter. Quam primum uero tendineus factus, deſcendit, iuxta longitudinem tendinis, ab illo musculo producti, ad* os calcis, *quod ſuperat; tumque finditur, in quatuor, tenues, tendines, capsulae ſpeciem formantes, cui, in exteriori latere, pro transmittendis ſequentis musculi tendinibus, exigua cauitas.* Inuolucri *uero huius pars dimidia circa primi* internodii *medium interrumpitur, tumque tendo, lato fine, ac integro, inſeritur ſecundi internodii principio.*

Vbi tendo huius musculi in cane ſupra finem calcanei *procedit, in illius medio deprehenditur durum corpusculum cartilagineum; quod illam partem tendinis non tantum defendit ab aspero illius osſis fine, ſed &, quum ſit* patellae *instar, motum eius promptiorem, fortioremque, reddit, ubi canis procurrit.*

§. 261. PERFORANS, *uel*, FLEXOR PROFVNDVS.

I. Oritur (1) acuto tendine, qui uero mox

 fit

fit carneus, a parte *tibiae* postica, supra insertionem *poplitaei* (§. 245. II.), ad duorum, uel trium pollicum ab ossis illius capite distantia (α), pergitque oriri, paruis, tendinei fibris, ab eiusdem ossis interioris latere, tandemque, cum magno musculi huius tendine confluit: (2) tendine gracili, disperso, cui tamen copiosae *fibrillae carneae* intertextae, a latere *fibulae*. Huic iam duplici fibrarum ordini includitur *tibialis* (§. 251.) Tum transit, liber a duobus *ligamentis*, ipsi obductis, per sinum, qui in *osse calcis* (β), paruumque tendinem antrorsum mittit, cum
CASSER. tendine *flexoris pollicis longi* communicatu-
T. 22. F. 3. rum, moxque, circa mediam plantam pedis,
B. in quatuor finditur tendines.

MASSA CARNEA, *uel*, MVSCVLOSAE CARNIS PORTIOSVLA: recte haberi potest musculi huius origo tertia; nam ubi prodiit, gracilis, ac carnea, a maxuma parte excauati *calcanei*, & aliquo eiusdem
CASSER. ossis spatio, anteriora uersus: tum quoque
T. 42. F. 3: (2) tenuis ac tendinea, ab inferiori eiusdem
D D. ossis tubere: mox fit tota carnea, & cum tendine musculi huius *flexoris*, praecise, ubi in quatuor suos tendines abit, coniungitur, per transuersum.

Insertio. II. Tendines illi quatuor, *perforati* (§. 260.
BIDL. T. 84. H. II.) fissuras egressi, inseruntur, parti supe-
CASSER. riori ultimi ossis digitorum minorum pedis
l: c: omnium.
333.
Actio. III. Flectit illos digitos.

In

(α) ALBIN. §. 210. 6.
(β) *Idem* §. 216. 2.

In cane musculus hicce procedit a tota dimidia superiore fibulae parte, aliquantum a tibia remota, repletque totum fere spatium, quod inter illa ossium illorum loca interiacet. Diuiditur in quinque tendines, quorum unus transit ad pollicem digitorum, qui in cane omnium digitorum minimus: ceteri autem perudunt totidem capsulas, a sublimis (§. 260.) *tendinibus fictas, tertio cuiusuis digiti ossi inserendi.*

MOLES CARNEA *non inuenitur in cane.*

§. 262. In *foetu*, cuius musculos praeparatos seruo, reperi paruum, carneum musculum, qui, oriundus a *fibula*, prope eius extremitatem, inter *flexorem pollicis longum* & *peronaeum* (§. 253.) medius, in sinuato *calcaneo* tendinescit; inque suo, uersus anteriora, progressu, firmiter adnascitur *massae carneae* (§. 261. I.), ibique loci coit cum *perforantis* (§. 261. II.) tendine, qui ad digitum, pollici pedis adcumbentem, pertingit.

§. 263. LVMBRICALES.

I. Hi omnes exeunt e tendinibus *perforantis* (§. 261. II.) in quadam ab unione *massae carneae* (l: c: I.), cum illius tendine, adhuc solitario, distantia. *Origo.* BIDL. T. 86. F. 1. A. C F. E F.

II. Inferuntur, quatuor paruis tendinibus, lateri interiori primi internodii quatuor digitorum minorum pedis. *Insertio.* BIDL. l: c:

III. Auxiliantur, ubi illi digiti flectendi: *Actio.*

§. 264. INTEROSSEI.

BIDL. T. cit: F.3.AAA. BB. Musculis septem *interosseis* idem situs, eademque est insertio, ut in manu; differunt uero ab his, *origine*, & *actione*.

Origo. Primus, siue, ABDVCTOR INDICIS PEDIS COVVP: p. 224. oritur a toto exteriori latere & anteriore parte *ossis metatarsi indicis*.

Origo. Secundus, seu. ADDVCTOR INDICIS PEDIS COVVP: ib: replet interuallum, inter *ossa metatarsi*, indicis, & medii digiti, relictum, a quorum quoque lateribus principium suum capit.

Origo. Tertius, uel, ADDVCTOR MEDII DIGITI COVVP:, intrinsecus tantum uisendus, ad latus secundi minoris digiti, indicem respiciens, pertinet, oriturque ab *ossis metatarsi* illius digiti anteriore parte tota; ut &, paucis fibris, a superiore parte *ossis metatarsi indicis*.

Origo. Quartus, seu ABDVCTOR MEDII DIGITI COVVP:, ab altero latere, per digiti illius longitudinem decurrens, prouenit, extrinsecus, ab ossibus metatarsi medii digiti & tertii: inter quae relictum omne spatium occupat.

Origo. Quintus, siue, ADDVCTOR TERTII DIGITI COVVP:, oritur (1) a parte superiore *ossis metatarsi* tertii digiti; & (2) a membrana, obducta tendini *peronaei* (§. 252. I.), illumque in *ossis cuboidis sulco* includente.

Origo. Sextus; qui in altero tertii minoris digiti latere; oritur a lateribus ossis metatarsi illius digiti, ut & ab ultimo osse *metatarsi*: in quo-

rum

rum osſium intercapedine in dorso pedis constituitur. Quin & adhaeret, per tendinem; *peronaeo* (§. cit:).

Vltimus; qui ADDVCTOR MINIMI DIGITI COVVP. oritur (1) a parte superiore *osſis metatarſi minimi digiti*: & (2) a membrana *peronaei* (§. cit:), iam deſcripta. *Orig.*

III. Mouent quatuor minores digitos in latus. Ac *interni* quidem illos introrsum mouent, ad pollicem eorum: *externi* uero illos adducunt ad minimum digitum, uel, eos abducunt a pollice digitorum, exteriora uerſus. *Inſertio.*

§. 265. *Musculi, quatuor recti ac duo obliqui, in planta posterioris pedis in cane ſiti, plane eodem decurrunt modo, ut illi in anteriore pede* (§. 185.).

CAPVT XLIIII.

MVSCVLI POLLICIS DIGITORVM PEDIS.

§. 266. Ad *pollicem digitorum pedis* ſex ſpectant musculi.

§. 267. EXTENSOR LONGVS.

I. Oritur, acute tendineus & carneus, (1) a *fibula*, prope eius ſupremam partem (α): (2) a membrana interosſea (β) (a) *cruris*. *Origo.* EVST. T. 33. BIDL. II. T. 81. H.

(α) ALBIN. §. 210. 7.
(β) *Idem* §. 210. 1.
(a) Oriri eumdem a *tibiae* latere, ſpectante fibulam, obſeruat ALBIN. l: c: §. 210. 5.

Insertio. EVST. l: c: II. Tendine suo, superiori parti ultimi ossis pollicis digitorum pedis inseritur (b).

Actio. III. Extendit illud internodium, dum adtollit.

§. 268. EXTENSOR BREVIS COVVP: p. 215.

Origo. I. Oritur, principio tendineo & carneo, ab antica *ossis calcis*, prope eius articulationem cum *talo*.

Insertio. BIDL. T. 82. II. Inseritur, tendineus, secundo ossi pollicis digitorum, prope eius supremam partem.

Actio. III. Extendit illud *internodium*.

§. 269. Pollex pedis *in cane, armatus ungula, omnium maxume incuruata inter quatuor reliquos digitos, committitur cum uno osse* tarsi, *prope superiorem partem* ossis metatarsi, *digito indici respondentis: unde pes posticus canis magis humanam manum refert, quam quidem anticus. Ille iam pollex a duobus extenditur musculis, quorum unus ipsi proprius est, oriundus, principio carneo, a* fibula, *ut & a membrana interossea cruris. Paruus illius uenter mox degenerat in subtilem tendinem, qui, cohaerens* tibialis (§. 250. II.) *tendini, procedit ad ultimum pollicis pedis internodium, ibidem insigendus.*

Alter autem est tendo, descendens a tibiali (§. c: II.), *iamque ibi descriptus.*

§. 270. FLEXOR LONGVS.

Origo. EVST. T. 36. I. Oritur, principio aspero, carneo ac tendineo, a parte superiore & postica *fibulae*, ad ossis huius

(b) Obseruatur quoque nonnunquam alium dare tendinem primo pollicis ossi.

huius extremitatem fere (α): tendineque suo procedit suo ligamento, ad malleolum internum (β): tumque in itinere suo, *ossi calcis* tendinem communicat (γ).

II. Inseritur ultimo ossi pollicis digitorum pedis (δ). *Insertio.* BIDL. T. 85. K.

III. Flectit illud internodium. *Actio.*

§. 271. FLEXOR BREVIS.

I. Oritur, tendineus, ab ossibus, *cuboide* ac *cuneiformi*, ultra pedis fundum exserto (α), inseparabiliter connexus tam *adductori pollicis*, quam *abductori*. *Origo.* BIDL. T. 85. F. 1.

II. Inseritur, *adductori* adnatus, *ossi sesamino* exteriori pollicis pedis (β). *Insertio.* BIDL. l: c:

III. Flectit secundum internodium pollicis. *Actio.*

In cane illud officium commissum est fasciculo, a flexore (§. 261.) *secedenti.*

§. 272. ADDVCTOR.

I. Oritur, tendine longo, tenui ac diuergente, *ab ossibus*, (1) *calcis*, sub tendine *massae carneae* (§. 261.): (2) *cubiformi*: (3) *cuneiformi medio*, prope *peronaei* (§. 252.) finem (α): & (4) *metatarsi* secundi digiti, in suprema eius parte. Tumque dilatatur in uentrem, mediocris magnitudinis. *Origo.* BIDL. T. 86. F. 2. D.

II. Inseritur eidem ossi, cui *flexor* (§. 271. II.). *Insertio.* BIDL. l: c:

III.

(α) ALBIN. §. 210. 9.
(β) *Idem* §. 205. 8.
(γ) *Idem* §. 216. 2.
(δ) *Idem* §. 251.
(α) *Idem* §. 235. 6.
(β) *Idem* §. 245.
(α) *Idem* §. 235.

Actio. III. Pollicem pedis adducit ad reliquos digitos.

§. 273. ABDVCTOR.

Origo. BIDL. T. 86. F. 2. CC. I. Oritur (1) carneus, ab anteriore latere protuberantiae inferioris *ossis calcis* a latere (α), &, tendineus, a tuberculo, quod eidem ossi prope os *nauiculare*: tum adhuc saepius (2) a latere ultimo memorati ossis (β), ubi quoque filamenta quaedam tendinea a *tibiali* (§. 250.) recipit. Reliquis uero ossibus, quae in interiori pedis parte, adhaeret tantum, repletque omnem cauitatem, quae in *osse metatarsi pollicis*.

Insertio. BIDL. l: c: II. Inferitur *ossi sesamino* interno primis ossis pollicis digitorum (γ), ita tamen, ut tendines eius adhuc ulterius supra idem os procedant.

Actio. III. Pollicem digitorum pedis abducit a reliquis digitis.

Bini ultimi musculi (§. 272. 273.) in cane deficiunt.

(α) ALBIN. § 216. 2.
(β) *Idem* §. 235.
(γ) *Idem* §. 245.

CAPVT XLV.

MVSCVLI MINIMI DIGITI PEDIS.

§. 275. Minimus digitus duos sibi habet musculos.

§. 276. ABDVCTOR (a).

I. Ori-

(a) Facit carnem externam minimi digiti.

I. Oritur (1), carneus tendineusque, a margine *semicirculari* sinus, qui in exteriori latere inferioris eminentiae *osſis calcis* (α): (2) corpore tendineo, ab *osſe cubiformi*: & (3) a superiore parte *osſis metatarſi minimi digiti* (β). *Origo.* BIDL. i: c: B. CASSER. T.42.F.2. GG.

II. Inseritur parti superiori primi osſis minimi digiti, extrinsecus, & a latere (γ). *Inſertio.* BIDL. ib. CASSER. ib. HH.

III. Abducit minimum digitum a uicino sibi digito, exteriora uersus. *Actio.*

§. 277. FLEXOR PRIMI INTERNODII MINIMI DIGITI COVVP: p. 223.

I. Exit (1) carneus, e toto exteriori latere osſis *metatarſi* illius digiti, infra eius protuberantem partem (α): (2) e *peronaei* (§. 252. I.) tendine, ubi decurrit in *ſulco osſis cubiformis*. (β). *Origo.* CASSER. T.42.F.3. HH.

II. Immittitur cartilagini, obducenti articulationem primi internodii illius digiti (γ). *Inſertio.*

III. Quod internodium flectit. *Actio.*

§. 278. *Et hisce motoribus.* (§. 276. 277.) *caret canis.*

(α) ALBIN. §. 216. 1.
(β) *Idem* §. 241.
(γ) *Idem* §. 246.
(α) *Idem* §. 239: 1.
(β) *Idem* §. 235. 9.
(γ) *Idem* §. 244.

CAPVT XLVI.

MVSCVLVS, POLLICI DIGITORVM PEDIS, HVIVSQVE MINIMO DIGITO COMMVNIS.

§. 279. TRANSVERSALIS PEDIS CASSER:

Orig. BIDL. T. 86. F. 2. E.

I. Oritur, tendineus, ab externo *sesamino osse pollicis* digitorum (α), arcta adhaesione ad *adductoris* (§. 272.) tendinem: moxque factus carneus, procedit supra duorum ossium *metatarsi* extremitates, inter illa atque *digitorum flexores* (§. 260. 261.) medius. Inde latescit, ac

BIDL. l. c. CASSER. T. 43. F. 1. I K L. T. 40. F. 8. P.

II. Inseritur, partim tendini, prouenienti ab *expansione tendinea* (§. 249.): partim ligamento cartilagineo, ambienti articulum primi internodii tertii minoris digiti cum *suo osse metatarsi*, ut & tali ligamento ultimi digiti, fibris nonnullis carneis (β).

Actio.

III. Binos ultimos pedis digitos adducit ad reliquos, & ad pollicem digitorum (a).

Neque hic musculus in cane.

(α) ALBIN. §. 245.
(β) *Idem* §. 244.
(a) Sicque cauam facit plantam: idque in pueris. Dixitque ALBINVS, qui pedibus scribere valent: illud, huius solum ope musculi, praestare posse.

AD-

ADPENDIX.

MVSCVLI CLITORIDIS ET VAGINAE, IN FEMINA.

§. 280. Duo *clitoris* nacta est musculorum paria.

§. 281. Musculus alter, inuentus a FALLOPPIO.

I. Oritur, tendineus ac carneus, ab osse *ischio* interne, prope eius coniunctionem cum *ossis pubis* (α) (a). Dum adscendit, adhaeret margini interno *pubis ossis*. *Orig.* EVST. T. 14. F. 1.

II. Inseritur carneus *cruri clitoridis*, hoc est, principio eius. *Insertio.* EVST. l: c:

III. Vterque, cruorem retinendo in cauernosa clitoridis substantia, illam erigit. *Actio.*

§. 282. Alter uero improprie uocatur VAGINAE SPHINCTER apud *de* GRAAF, quum numquam illam cingat orbicularibus fibris, ut actionem, tali debitam musculo, edere possit.

I. Oritur, carneus, a *sphinctere ani* (§. 113.) partim ab alba compactaque substantia, sita sub *perinaei* cute, inter *pudendi* partem inferiorem, *anumque*. Inde adscendit ad *uaginae* latus, prope eius orificium exterius, tegitque omne *Orig.* EVST. T. 14. F. 1.

(α) ALBIN. §. 189. 2.

(a) Medio, inter *tricipitem* (§. 226.) ac *gracilem* (§. 241.), loco.

omne *corpus uaginae uasculo-spongiosum*, quod ipsa *clitoridis* productio:

Insertio. II. Inseritur, lateraliter, corpori, uel *cru-*
EVST. *ribus clitoridis.*
l: c:
Actio. III. Idem efficit, quod praecedens musculus (§. 281.); & praeter ea, comprimendo *spongiosum corpus*, siue *plexum retiformem*, comprimit *uaginae orificium*, negando exitum redeunti inde cruori (b).

§. 283. *Vaginae uteri* duo data sunt musculorum paria, nemini, quantum scio, descripta.

Origo. §. 284. Musculus prior I. oritur ab interiori *ossis pubis* latere (α), ad dimidiam partem spatii, quod inter os *ischium*, & principium *cruris clitoridis.* Inde adscendit, obliquus aliquantum, &

Insertio. II. Inseritur *uaginae*, ad *meatus urinarii* orificium.

Actio. III. Vaginam dilatat, illudque *meatus* orificium aperit.

Origo. §. 285. Posterior I. prodit, & tendineus, & carneus, ab *osse pubis* intrinsecus, eadem quippe cum *leuatore* (§. 110. I.) origine (β).

Insertio. II. Inseritur superiori *uaginae* parti, ad latus *meatus urinarii*, uel *colli uesicae.*

Actio. III. *Vaginam* eleuat, sicque, excreto lotio, collum uesicae constringit.

§. 286. Musculos hosce omnes (§. 280-286), rite haud conspexeris, ni *os pubis* ab ossibus *ilium*, *ischioque*, separaueris, illique, abrupto, *rectum intestinum*, *uaginam*, *uesicamque urinariam*, cohaerentia reliqueris. §. 287.

(b) Vltimus hicce usus debetur COVVP. p. 35.
(α) ALBIN. §. 184. 4.
(β) *Idem* §. 184.

§. 287. *Vt musculi canini habeantur e scripti omnes, iam uidendi adhuc supersunt musculi* praeputii *ac* urethrae.

§. 288. Praeputium, *cui in homine nullus datus est musculus, in cane ab uno pari, unoque, sine pari, mouetur.*

§. 289. *Prior dicatur.*

PRAEPVTIVM ADDVCENS, qui, a membrana carnosa (§. 160.), *ad* cartilaginem ensiformem, *oriundus, ubi iuxta utrumque* lineae albae (§. 9.) *latus descendit, fit crassior ac compactior, tandemque inseritur* praeputio, *a latere. Hic, (sic putarim;) contractus*, praeputium *obducit* glandi, *copulatione facta, (licet uelit BLASIVS* (a) *illum educere penem antrorsum*, tempore coitus:) *iuuaturque contractione duorum ligamentorum, quae ab* alba linea (§. *cit:*), *circa eius medium, oriunda, desinunt in praeputium.*

§. 290. *Posterior qui*

PRAEPVTIVM ABDVCENS, uel, RETRAHENS, est paruus, pari carens, oriundus a sphinctere (§. 123.) *arcteque adnatus* adceleratori (§. 15.) *unde duos fasciculos carneos recipit, iam memoratos, decurrit, iuxta* urethrae *longitudinem, inseriturque parti inferiori* praeputii, *ubi fibrae eius diuergentes supra illud totum sese expandunt.* Praeputium *retrahit, sicque succurrit denudandae* glandi, *ubi illud animal, coitum adpetit. Quin &, certo respectu, seruire potest tum temporis dilatandae ac apertam retinendae* urethrae, *ne* M *semini,*

(a) *Anat. Animal.* p. 23.

semini, in tanto itinere, ullum obstare possi impedimentum.

§. 291. *Partem tandem* urethrae *illam, quae inter* prostatas, *unionemque* cauernoſorum corporum, *interiacet; cui duorum uel trium pollicum longitudo, pro ratione ſcilicet magnitudinis animalis; gracilis ac carneus circumit musculus, qui, comprimens copioſas ibi* glandulas, *in urethram apertas, contenta earum exprimit, uehiculum futura deſcenſuro,* coitus tempore, ſemini: *quin & plurimum conferunt fibrae eius carneae contrahendo illi canali, prout recte in apris ac tauris obſeruauit COVVPER.*

CATALOGVS MVSCVLORVM CORPORIS HVMANI, IN CANINO DEFICIENTIVM.

Pyramidalis abdominis.
Musculus, frontalis, uerus.
———, *naſo proprius*, uel *rinaeus.*
Eleuator labiorum communis.
Depreſſor ———
Stilo-chondro-yoidaeus.
Salpingo-ſtaphilinus.
Coraco-yoidaeus.
Thyreo-ſtaphilinus.
Subclauius.
Leuator ani externus.
Serratus minor Anticus.
Palmaris longus.
——— *breuis.*
Vnus *extenſorum carpi radialium.*
Extenſor tertii internodii indicis.
Adductor indicis.
Musculi pollicis manus omnes, uno *flexore*, unoque *extenſore*, exceptis.
Musculi omnes digiti minimi manus, praeter *extenſorem.*
Supinator longus.
Coccygaeus.
Tendinoſa expanſio, *in planta pedis.*
Par nouum pedis VESALI.
Maſſa carnea, *in planta pedis.*
Musculi omnes pollicis digitorum pedis, unum ſi exceperis *extenſorem.*
Abductor minimi digiti.
Flexor primi internodii minimi digiti.

CATALOGVS MVSCVLORVM, SINGVLARIVM CANI.

TABULA, EXPLICANS MVSCVLORVM NOMINA.

Musculi ſua ſortiuntur *nomina*

I.

Ab Actione: inde

Abductor, ab *abducere.*
Adcelerator, ab *adcelerare.*
Adductor, ab *adducere.*
Adnuens, ab *adnuere*; ut, quando in rem aliquam conſenſuri ſumus.
Adtollens, ab *attollere.*
Caput concutiens, a *concutere.*
Constrictor, a *constringere.*
Cremaster, uel *ſuspenſorius*, a κρεμαω, *ſuspendo.*
Depresſor, a *deprimere.*
Detruſor urinae, a *detrudere.*
Diaphragma. a διαφραττω, *interſepio*, quod *thoracis abdominisque* uentres ſecernit ab inuicem.
Dilatator, a *dilatare.*
Distortor oris, a *distorquere.*
Extenſor, ab *extendere.*
Flexor, a *flectere.*
Indicator, ab *indicare*; quia illo digito utimur, rem quamdam demonstraturi.
Leuator, a *leuare.*
Masſiter, a μασσαομαι, *manduco*, *comedo.*
Pronator a *prono*: quod uocabulum quidem illum ſitum notat, ubi uultui incumbimus, iacentes: hic uero adcipitur pro depresſione manus.

Renuens, a *renuere*; ubi aliquid recuſamus.
Retrahens, a *retrahere*.
Sartorius; quia ſeruit ſartoribus, quoties ſedent, pedibus, in crucis formam redactis.
Sphincter; a σφιγγω, constringo.
Supinator; *a ſupino*; qui est ſitus corporis ille, ubi dorſo incumbimus, elato uentre: hic uero ſumitur pro conuerſione palmae manus, ſuperiora uerſus.
Tenſor, vide: *extenſor*.

I I.

Ab origine: ſic;

Graphoides; uel *ſtiliformis*, a γραφις, *ſtilus*, quia a cognomine *osſis temporum* procesſu oriri putabatur. Veteres ſic adpellauerunt *musculum digaſtricum*.
Pectinaeus, uel, *pectinalis*; a *pectine*, hoc est, *osſe pubis*.
Pterigoidaeus, ſeu; *aliformis*; a πτερυξ, υγος, *ala*, & ειδος *forma*.
Sacer, ab *osſe ſacro*.
Sacrolumbalis; ab *osſe ſacro*, & procesſibus lumborum transuerſis.
Semifibulaeus; a dimidia parte *fibulae*.
Transuerſalis, a procesſibus transuerſis, dorſi & colli.
Zygomaticus; ab osſe, ζυγωμα dicto, quod deriuatur a ζυγος, uel, ζευγος, *iugum*: unde *os iugale*.

I I I.

A colore: ita:

Liuidus, hoc est, *pectinaeus*; a tali eius colore.

IIII.

IIII.

A compositione sua, uariisque suis partibus.

Biceps; quia *bina* habet *capita*, uel origines.

Bicornis; quod duo habet principia, cornubus similia.

Complexus, quia componitur a fibris, tam tendineis, quam carneis, uarie mixtis, haud extricandis.

Complicatus: quod est aliud eiusdem musculi nomen, eadem de caussa, ipsi inditum.

Digastricus, uel, *biuenter*, a δις & γαστηρ; quia duos habet uentres, unumque, illis interpositum, tendinem.

Gemellus; a gemino sui ortu.

Gemini; quia duo distincti musculi, membrana tantum coniuncti.

Quadriceps: a quatuor capitibus, quibus nascitur.

Triceps: quia tribus prodit capitibus.

V.

A fibrarum decursu.

Obliquus.
Orbicularis.
Rectus.
Transversalis.

VI.

A figura.

Cucullaris; a similitudine, qua inferior huius musculorum paris pars ad cucullam monachorum adcedit, inter humeros propendentem.

Deltoides, seu, *deltiformis*; a Δ; quae quarta Graecorum littera:, & ειδος, forma.

Fascia lata; quia includit plurimos musculos, *osſi femoris* incumbentes.

Fascialis, id eſt, *ſartorius*; quia quosdam femoris crurisque musculos decusſat, *fasciae* inſtar.

Lumbricales; quia lumbricos referunt.

Marſupialis; quia *gemini*, nonnullis illius musculi pars habiti, connexione ſua membranoſa, *marſupium* carneum fingunt, per quod illius tendo transeat.

Pyramidalis; quia exoritur, *lata baſi*, & deſinit in anguſtum uerticem, pyramidis inſtar: talis enim pyramidi eſt figura.

Pyriformis; quia pyrum aliquantum referre uidetur.

Quadratus; quia quatuor habet latera.

Rhomboides, a ῥομβος, *adamas*: & εἶδος, *forma*: hoc eſt, figura, adamanti ſimilis, cuius oppoſita latera ac oppoſiti anguli aequantur.

Rotundus; a figura ſphaerica ac rotunda.

Scalenus; a figura trianguli, cuius omnia latera inaequalia, σκαληνος Graecis dicti.

Serratus; quia, ad finem ſuum, in plures, distinctas, carneas portiones diuiditur, *ſerrae* dentibus bene comparatas.

Solaeus, uel, *ſoleus*; a *ſolea*.

Splenius; a *ſplenio*, quod Chirurgi osſis fracti lateribus adplicare ſolent.

Teres; quia longus & rotundus.

Trapezius; a τράπεζα; quo nomine, in Geometria, ſpeciem figurae quadrilaterae intelligunt: proprie uero *mensam* denotat: inde musculus hic quibuſdam *musculus tabulatus* audit.

Tri-

Triangularis; a *triangulo*, quod est figura, cui tres anguli.

VII.

Ab insertione.

Ciliaris; a *ciliis*, quae sunt molliores margines cartilaginei palpebrarum, quibus infiguntur *tarsi*.

Mastoidaeus, uel, *mastoides*; id est: *mammiformis*; a μαςος, *uber*, *mamma*, & ειδος, *forma*.

Semispinalis; a numero dimidio *spinarum* dorsi.

Spinalis; a plurimis *procesfibus spinosis* colli.

IIX.

Ab origine & insertione.

Basio-glosfus; a βασις, quae os anterius *ossis yoidis* & γλωσσα, *lingua*.

Cerato-glosfus, a κερας, ατος, *cornu*, & γλωσσα.

Coraco-brachialis; a procesfu, κορακοειδης dicto, quod a κοραξ, κος, *coruus*, & ειδος, *forma*: & *brachio*.

Coraco-yoidaeus: ab eodem procesfu, & *osse yoidis*.

Cico-arytaenoidaeus: a κρικος, *annulus*, & αρυταινα: *guttur*, seu *gutturnium*.

Crico-thyreoidaeus; ut supra: & a θυρεοιδης, id est, *scutiformis*.

Genio-glosfus, a γενειον, *mentum*.

Genio-yoidaeus: ut modo explicitum, & ab *osse yoidis*.

Glosso-staphilinus; a γλωσσα, *lingua*; & σαφυλη quae *uua*, *uuula*, *gargareon*.

Mylo-yoidaeus; a μυλοι, *dentes molares*.

Occipito-frontalis; ab *occipite*, & cute *ossis frontis*.

Palato-ſtaphilinus; ab *osſe palati*; & σαφυλη, *uuula*.

Salpingo-ſtaphilinus; a σαλπιγξ, ιγγος, *tuba*.

Sterno-yoidaeus; ab *osſe ſterni*, uel, *pectoris*.

Sterno-thyreoidaeus.

Stilo-chondro-yoidaeus; a ςυλος, *ſtilus*, hoc est, *procesſus ſtiliformis*; & χονδρος, *cartilago*.

Stilo-glosſus: a ςυλος & γλωσσα.

Stilo-yoidaeus.

Thyreo-arytaenoidaeus; a θυρεος, *ſcutum*.

Thyreo-ſtaphilinus.

Trachelo-mastoidaeus; a τραχελος, *collum*, *ceruix*; quia ab eius vertebris praecipue oritur.

Yo-thyreoideus.

Obſervari meretur omnino, primum uocabulum ſemper indicari musculi originem; ultimum autem inſertionem eius.

IX.

A partibus, ad quas pertinent.

Coccygaeus; a κοκκυξ, *cuculus*; hoc est, *os coccygis*; nam & illius formam habet.

Oeſophagaeus, ab οισοφαγος; *oeſophagus*, *gula*.

Pharyngaeus; a φαρυγξ, *guttur*, *fauces*.

Cephalo-pharyngaeus, a κεφαλη, *caput*.

Chondro-pharyngaeus; a χονδρος, *cartilago*.

Crico-pharyngaeus; a κρικος, *annulus*.

Glosſo-pharyngaeus - a γλωσσα, *lingua*.

Yo-cerato-pharyngaeus.

Mylo-pharyngaeus; a μυλαι, *dentes molares*:

Pte-

Pterygo-pharyngaeus; a πτέρυξ, *ala.*
Salpingo-pharyngaeus, a σάλπιγξ, *tuba.*
Stilo-pharyngaeus.
Syndesmo-pharyngaeus; a συνδεσμος, *uinculum, ligamentum.*
Thyreo-pharyngaeus; a θύρεος, *ſcutum.*
Rinaeus: a ριν, ρινος, *naſus.*
Strapidaeus; a *ſtapede.*

X.

A partibus, quas componunt.

Buccinator; quia maxumam *buccae* partem facit.
Gastrocnaemius, a γαστροκνεμια, *ſura*: quae uox deſcendit a γαστηρ, *uenter*, & κνημη, *tibia.*
Glutaeus; γλουτος, nates.
NB. Pharyngaeus, cum cunctis, diuerſis, fibrarum ſuarum ordinibus, huc, pari iure, referri poteſt, quo *glutaeus.*
Suralis; a *ſura.*
Θεναρ; ſic dixere Graeci prominentem in uola manus carnem: quod uerbum uero deriuari uidetur a θενειν, *percutere, uerberare.*

XI.

A progreſſu per partes quaſdam.

Perforans; quia tendo eius peruadit fiſſuram, quae in *perforati* tendine.
Trochlearis; quia tendo eius fertur per cartilaginem; *trochlea* uocatam.

XII.

A magnitudine, cum aliis collata.

Breuis.

Gracilis, quia tenuisſimus ac gracillimus musculorum *tibiae.*

Latisſimus; quia dorſo, uel collo, incumbentium musculorum maxumus ac largisſimus.

Longisſimus; quia dorſi musculorum longisſimus.

Longus.

Magnus.

Maior.

Maxumus.

Medius.

Minimus.

Minor.

Paruus.

Haec explicatione non egent.

Platysma-myoides, h: e:, *expanſio*, *uel dilatatio*, *muscularis*; a πλατυσμα, *latum linteum*; uel, *aliquid ei ſimile*: ſeu, *a* πλατυσμος, *dilatatio*: μυς, *musculus*, *&* ειδος, *forma.*

Vastus; quia, cum pari ſuo, est *tibiae* musculorum crasſisſimus & maxumus.

XIII.

A ſitu.

Angonaeus, uel, *anconaeus*; ab αγκων, *cubitus*; in ſtricto tamen ſenſu ſumitur pro proceſſu quodam cubiti.

Anticus; quia in anteriore parte collocatus.

Αντιθεναρ; a ſitu, musculo θεναρ oppoſito; uel, ab actione, illi του θεναρ contraria.

Brachiaeus; a βραχιων, *brachium.*

Cruraeus; a *crure*, hoc est, *femore.*

Cu-

Cubitaeus)
Cubitalis) ; a *cubito*, id est, *ulna*.
Externus.
Fibulaeus ; a *fibula*.
Iliacus, ab *osſe ilium*.
Immerſus ; quia immerſus quaſi, ſub ceteris *ſcapulae* musculis.
Infraſpinatus ; infra *ſpinam ſcapulae*.
Intercostales ; quia *inter costas* ſiti.
Internus.
Interosſeus ; inter osſa *metacarpi* manus, & *metatarsi* pedis, medius.
Interſpinales ; hoc est, ſpinis colli interpoſiti.
Intertransverſales ; qui inter procesſus transuerſos colli, uel lumborum.
Interuertebrales ; quia ſupra, ac intra corpora nonnullarum colli *uertebrarum* collocati.
Palmaris ; quia tendo eius ſupra palmam manus expanditur.
Plantaris ; quod crediderunt, tendinem eius ſupra plantam pedis, ſub cute, dispergi.
Pectoralis], ab *osſe pectoris*.
Peroneus ; a περονη ; quod cruris os breuius,
Poplitaeus a *poplite*.
Posticus : qui in parte poſteriori collocatus.]
Ψοας ; a Ψοα, *lumbus*.
Radiaeus)
Radialis) ; a *radio*.
Subclauius ; a *clauicula*, cui ſuccumbit.
Subſcapularis ; ſub *ſcapula*.
Supraſpinatus ; ſupra ſpinam *ſcapulae*.

Tem-

Temporalis; a *temporibus*.
Tibiaeus) ; a *tibia*.
Tibialis)
Vlnaris; ab *ulna*.
Υποθεναρ; quia infra θεναρ.

XIV.

A proprio corpore.

Membranosus; a tendine suo lato, membranae simili.
Semimembranosus; quia per dimidium membranosus.
Semineruosus) ; quia dimidius tendinosus.
Semitendinosus)

MVS-

MVSCVLORUM HVMANORVM, IAM DESCRIPTORVM, INDEX VNIVERSALIS.

A.

C.

D.

E.

F.

Lon-

M.

N.

O.

P.

Q

R.

S.

 Supi-

T.

V.

Y.

Z.

Leges, *quas ſibi figit* JACOBVS DOVGLAS, *tenendas*, *ubi integram* CORPORIS HVMANI COMPARATAMQVE ANATOMIAM *pertractabit.*

In parte de OSSIBVS.

I. Diſſerendum de *oſſibus*, *cartilaginibus* & *ligamentis* in genere.

II. *Oſſa* ſingulatim examinanda, quae omnia ſic ſint praeparata, ut interna eorum fabrica aeque bene conſpici poſſit, ac quidem exterior.

III. Articulationes *oſſium* tam in ſceleto, quam in recenti cadauere exhibendae.

IV. Demonſtrentur περιοστεον, *medulla*, ingreſſus & egreſſus uaſorum ſanguineorum, ut & *glandulae mucilaginoſae* omnes, in articulis, uel prope illos, collocatae.

V. *Oſſa foetus* & adulti inter ſe conferenda; docendumque, qua ratione oſſa creſcant, a conceptione usque in natiuitatem.

VI. Oſtendenda differentia inter *ſceletum* maſculinum & femininum.

VII. *Cartilaginis* & *ligamenta* omnia oſtendenda ſunt, deſcribendaque.

In parte de MVSCVLIS.

I. Exponenda fabrica *fibrae*, *membranae* & *muſculi* in genere.

II. Muſculus quisque ſigillatim demonſtrandus, ut uideatur eius ortus, progreſſus & inſertio: *inuentor* eius citandus; quique eum omnium optume deſcripſerit.

I. Enarranda diuisio corporis, ut & descriptio communium eius partium, & continentium, ut *cuticulae*, *cutis* &c.

II. *Viscera*, in cauis *thoracis* ac *abdominis*, contenta, in *situ naturali* uidenda, ut eorum situs, mutuaque connexio conspici, indeque plurima φαινόμενα, in praxi *physica* ac *chirurgica* occurrentia, explicari possint.

III. Vnumquodque *uiscus* separatim demonstrandum.

IV. Ostendendae sunt partes, quae, in utroque sexu, ad generationem faciunt, tam in praeparatis siccis, quam recentibus.

V. Qua duplici ratione & offerantur instrumenta *sensuum*.

VI. Demonstrentur partes, quibus *foetus* humanus ab adulto discrepat: quales sunt *thymus*, *glandulae renales* (quarum copiosissima uasa diuersi cera coloris repleta sint), *funiculus* ac *uasa umbilicalia*, *foramen ouale*, *canalis BOTALLI* uel *ductus arteriosus*, *ductus uenosus* &c.

VII. Inquirendum in *placentam uterinam*, & membranas, *foetum in utero* includentes.

In parte de NERVIS.

I. Loquendum de *neruis* in genere.

II. Omnes neruorum uiae quaerendae, qui, oriundi a *medulla oblongata*, transeunt per foramina cranii, inserendi naso, oculis, auribus, linguae, cuti capitis, ac faciei, ceruici, partibusque, in thorace atque abdomine contentis: ut & illorum legenda uestigia,

qui,

qui, e *medulla ſpinali* nati, ad artus feruntur; ubi & in primis deſinunt.

De GLANDVLIS.

I. Fabrica *glandularum* in genere explananda.

II, Demonstrandum εγκεφαλον & *medulla ſpinalis*, una cum omnibus membranis, illa integentibus.

III. Examinandae glandulae *ſaliuares*, *mammariae*, ceteraeque *conglomeratae* omnes, ductibus quarumdam ſecretoriis, *argento uiuo*, *ceraque*, repletis.

IV. Demonſtrandae ſunt plurimae *lymphaticae*, hoc est, *conglobatarum* ſpecies.

In parte de VASIS.

I. Sermo faciundus de *arteriis*, *venis*, uaſisque *lymphaticis* in genere, exhibitis ſimul pluribus earum membranis, ac oſtiolis.

II. In *arterias* omnes iniiciunda *materies ceracea*.

III. Replendi ſunt *ſinus durae matris*, ut & *uenae* nonnullae, uarii coloris cera: ceterarum autem uenârum progresſus eſt perſequendus, & quidem in ſpecie. αζυγυ; ramorum *uenae portarum*; earumque, quas in *uenae ſectione* aperiunt.

Haec iam memorata omnia exhibebuntur in corporibus humanis, ſed &, maxumam partem, in praeparationibus ſiccis. Vbi uero circa partes illas deſcribendas uerſabimur, ſequentia in primis ſingularia conſiderabimus: nempe earum *nomina Graeca*, *Latinâ* ac *Anglica*; illorumque *originem*; *inuentores*; *numerum*; *ſitum*; *connexionem*: *figuram*; ipſum

corpus ; *cauitates* ; *magnitudinem* : *membranas* ; *uasa* ; *colorum* &c. denique *usum* earum, uero omnium simillimum. Adstruentur, in *uiscerum* ac *glandularum* demonstrationibus, nonnulla, in sectionibus corporum, morbo enectorum, obseruata; ac, qua ratione sic adfici potuerint, quaeque talem statum insequi debeant, explicabitur.

In parte Anatomiae COMPARATIVA.

I. Partes omnes *quadrupedis* demonstrandae, eodemque tempore, cum illis *corporis humani* comparandae sunt, ut illarum diuersitas eo clarius elucescat.

II. Oculis lustranda sunt *uasa lactea*, glandulae *mesenterii*, *receptaculum chyli*, *ductus thoracicus*, huiusque in *uenam subclauiam* apertura.

III. Demonstrentur quatuor *uentriculi* animalium *ruminantium* ; & addatur tractatio, de usu ac caussa *ruminationis*.

IIII. Videatur *motus* intestinorum *peristalticus*, & actio *diaphragmatis* in cuniculo.

V. Exhibeatur *uterus* uaccae. cum *cotyledonibus* suis, & membranis, ac humoribus inclusi *foetus*.

VI. In *uolatili* omnes separandi *musculi*; *arteriae* replendae : inque *neruorum* itinera inquirendum. Examinanda fabrica interna ac externa *auris*; demonstranda *membrana nictitans*; intelligendaque ratio, cur tendo contracti illius musculi *globum* oculi non comprimat? Vt & ceterarum oculi partium indaganda fabrica. Examinentur duo *uentriculi* ; *ingluuies* scilicet & *uentriculus*, cum *prolobo* seu *uestibulo* ; cor

&

& pulmones, ac, quo hi modo in plurimas, pellucidas, membranofas, ueficulas, plicis *intestinorum* interpofitas, aperiantur?

VII. In *gallo* cernantur *testes*, *renes fuccenturiati*, *ureteres*, duo *penes*, & *cloaca*.

VIII. In *gallina ouarium* cum *racemis uitellorum*, *ouiductus* ac *uterus*.

IX. Microscopiorum auxilio, uideatur circulatio *fanguinis*, & *animalcula in femine masculino*.

X. Defcribendae partes omnes *oftrei*; *piscis alius*, cui *dura cutis* (a); *astaci*; ut & *apuae*. In qua ultima exhibenda cordis fabrica, *intestinorumque* elegans ratio. Quin & in illis omnibus motus cruoris explicandus; quum corda eorum uno tantum gaudeant uentriculo.

XI. Exhibenda fabrica *abftrusisfimi organi auditus*, in feptem, uel octo, differentibus animalibus.

Demonstrationibus horum omnium recenfitorum fidelibus adcuratisque praemisfis, curfum huncce Anatomicum concludet fuccincta OECONOMIAE ANIMALIS historia, ab exhibita nominatarum partium fabrica deducta, fequentibus includenda capitibus: de *masticatione*; *deglutitione*; *digestione*; *chylificatione*; *fanguificatione*; *motu fanguinis circulatorio*, tam in *foetu*, quam in *adulto*; *de nutritione*; de fingularium omnium in corpore hu-

(a) Defcriptionem eius fubftitui termino Latino, mihi ignoto. Angli dicunt *fkait*.

humorum a *massa sanguinea secretionibus; de generatione, respiratione; de motu musculari ac progressiuo;* de ratione, qua *sentimus* &c.

A: P: C: N: CIƆ IƆ CCVI. D. XXIII. *Septembris.*

ORDO

ORDO MVSCVLORVM,

ab interprete additus.

Communiter Anatomici demonstrationes suas ordiuntur, a musculis, *anteriori trunco corporis supini* incumbentibus : & quidem omnium primo ab iis, qui *abdomini* adplicati. *Musculorum abdominalium* tria sunt *strata*. *Ordo abdominalium.*

Nempe, ablatis *communibus corporis integumentis*, primum adparet, quod fit a solo *obliquo externo* EVST. XXVIII. Secundum ab *obliquo interno*; *recto*, & *pyramidali*; T. XXXIII. ex parte. Tum & uidetur *cremaster*. T. XXVIII. XXXII. Tertium a *transuersario* l: c: : iam tum sequitur *peritonaeum*.

In thorace autem anteriore, sub *integumentis*, primo obtutui se sistunt *pectoralis maior*, tectus pro parte ab origine *latissimi colli*; *digiti serrati antici maioris*; & *portio latissimi dorsi* V. T: XXVIII. *Thoraci anteriori incumbentium.*

Primum ergo *stratum* facit *pectoralis maior*: l: c: ; hoc remoto, secundum fit a *serrato*, *antico*, *superiore* T. XXXII. *Tertium* ab *intercostalibus externis* ; *quartum*, ab *internis*. T. XXXIII. Inter *primam* uero *costam* & *clauiculam* adpellat *subclauius*. T. XXXII.

Iam aperitur *peritonaeum*, ut *uiscerum abdominalium* situs uideatur : illis uero exemtis, uidetur concaua *diaphragmatis facies*. Tum *In cauitate abdominis situum catalogus.*

ↄias

ψοας *paruus* integer ; origo ac progressus *magni* ψοας ; *quadratus lumborum* integer : *iliaci interni* origo & progressus.

Dorsi ceruicisque posterioris musculi.

Iam, cadavere inuerso, pronoque, dorso incumbunt sequentes : hinc integumenta dissecentur per omnem trunci longitudinem, initio facto ab *occipite*. Iam uidebitur primum *dorsi* stratum, a duobus musculis factum, quorum superior *trapezius*; inferior uero *latissimus dorsi*. Vna uero tum conspiciuntur aliorum portiones musculorum : ut *rhomboidis*; *infraspinati*; & *teretium*. T. XXXI. *Trapezio* dissecto, uidetur stratum secundum, quod fit a *rhomboide* T. XXIX. *in dextro.* Sub hoc sequitur *serratus, posticus*, *superior* T. XXXVI. *Latissimum* uero ablatum excipit *serratus, posticus, inferior* l: c: In ceruice autem posteriore mox, sub *cucullare*, uidentur *splenii*; his ablatis sequuntur *complexus*; ad cuius latus externum *trachelo-mastoidaeus*; post, *leuator scapulae* T. XXXVII. Iis remotis, sequitur uniuersale stratum, quod inferius, communi tendine, enatum, abit in *longissimum dorsi*, eius spinae propiorem, & *sacrolumbalem* : ad huius latus exterius uidentur *musculi*, *ad sacrolumbum adcessorii*. Inter *longissimum*, & spinam, in dorso uidetur *semispinatus* BIDL. In ceruice uero ex *longissimo dorsi* enata uidetur *portio*, *ad trachelomastoidaeum adcessoria* : & ex *sacrolumbali* fere procedens *ceruicalis descendens*. Remoueantur & hi; tum adparebit in dorso *semispinalis* : in collo uero *spinalis colli*. Et hisce separatis, ab ultimis lumbis usque ad secundam

dam uertebram colli uidebuntur *facer: transuerfarii dorfi* & *ceruicis* : inter fecundam uero uertebram & occiput funt *recti* & *obliqui* colli posteriores. Vltimo; fub his, in lumbis uidentur *transuerfarii*, in dorfo *leuatores costarum* STEN: ; *in ceruice autem transuerfalis*; *interfpinales*; *interuertebrales*. Iam fola osfa.

Cadauere rurfum fupino; quaerantur *musculi*, anteriori *colli* parti, inter maxillae inferioris inferiorem marginem & pectus incumbentes. Primum ergo ftratum facit *latisfimus colli* T. XXX. Hoc ablato, occurrunt in oculos, qui expreffi in T. XXVIII. Nempe remoto *platysmate myoide*, uidetur *mastoidaeus* l: c: Hoc remoto, inter *osfa pectoris* & *yoidis*, fequentes uidentur: *coraco-yoidaeus* & *fterno-yoidaeus* T. XLI. F. V. in *dextro* : *fterno-yoidaeo* fubiacent *fterno-* & *yo-thyreoidaei* ; l. c: *in finistro* : ut & portio, a *glandula thyreoidaea ad os yoidis procedens* ; fub hac uero *crico-thyreoidaeus*. l: c: F. VIII.

Inter *os yoidis* uero & *maxillae inferioris* inferiorem marginem hi iam funt confpicui: omnium primo, fub *latisfimo colli*, *digastricus* & *ftilo-yoidaeus* : T. XXVIII. hisce remotis, uidentur *myio-* & *genio-yoidaei* ; T. XLI. F. V. Hisce fuccumbentes uidentur omnes *linguae musculi* : l: c: F. VIII. *ftilo-yoidaeus alter*, & *ftilo-pharyngaeus*. F. XI. Iam, a colli latere, uidentur *fcaleni* omnes; *intertransuerfarii* : *musculus*, *caput concutiens*; *rectus internus maior capitis* ; & *longus colli*, XLI. F. XIII. fub recto. Tum, feparata a

trun-

trunco fcapula, confpiciatur *ferratus*, *anticus*, *inferior* totus. T. XXXIII. pro parte.

Iam aperiundus thorax: & quidem *os pectoris* in uno latere feparandum a costarum cartilaginibus: ficque eleuandum, ut *triangularis* alterius lateris uideri posfit: & adhaefio diaphragmatis relinquatur: reclinetur in abdomen: & uideantur; origo *longi colli*: *transuerfarii dorfi interiores*: *depresfores costarum proprii*; ac altera *diaphragmatis* facies.

Pharyngis. Separato a uertebris *pharynge*; & capite circa *epistropheum* truncato, fic fe ordine *pharyngaei musculi* excipiunt: ac fuperius quidem primo *mylo-pharyngaei*: tum *pterigo-*; *falpingo-pharyngaei*: in parte uero postica, medio inter *falpingo-* & *glosfo-pharyngaeos* loco, *cephalo pharyngaei*: tum *glosfo-pharyngaei*. Inferius *chondro-*; *yo-cerato*; *fyndesmo*; *thyreo-*; *crico pharyngaei*.

Uuulae. Hos fequuntur *uuulae* musculi: nempe membrana oris, a lingua usque ad inferiorem maxillam disfecta, ut & pharynge, a latere aperto, per longitudinem fuam; uidentur; *glosfo-*; *thyreo-*: & *pterigo ftaphilini*.

Capitis. Tum demonstrentur musculi capitis ita; *occipito-frontulis*; *corrugator uerus*; *fphincter oculorum* & *ciliaris*; tum *fphincter oculorum* & *ciliaris*, *tum fphincter oris*: quia ei plurimae infertiones fubiacent: *eleuator labii fuperiores*, cum portionibus adcesforiis; *myrtiformis*; *nafalis*; *eleuator labii fuperioris* αζυγ@, *leuator labiorum communis*: *zygomaticus*; & alii; quos fola infpectio docet. Tandem *pterigoidaei*; *palatoftaphilinus*; *recti*, *internus* & *lateralis*: Mus-

Musculi oculorum & aurium per se patent.

Sic & in scapula difficultatis nihil.

Soli restant artus. De brachio prius.

Humerus uel anterior; uel posterior: ille dicitur, ubi brachium extensum, manu supina. Ibi omnium primus est *biceps internus*: sub hoc, pro parte, *coracobrachialis*: toti tandem bicipiti subiectus *brachialis internus*.

In postica cubiti est solus *triceps extensor cubiti*.

In *cubiti parte* postica primum stratum constituunt sequentes, principio numerandi sumto ab *ulna*: primo *angonaeus*: tum *extensor cubiti ulnaris*: tandem *extensor digitorum communis*.

Anteriori uero cubito, a radio incipiundo sequentes incumbunt: *supinator longus*; *pronator teres*; *flexor carpi radialis*; *palmaris longus*; *flexor carpi ulnaris*.

In strato altero *extensor carpi radialis*: *flexor tertii internodii pollicis*: *perforans & perforatus*. Tum adparent quoque *pronator quadratus* & *supinator breuis*.

In palma manus iam primum omnium est expansio *palmaris longi*; *palmaris breuis*: θέναρ. Sub expansione *palmaris* uisuntur *sublimis* tendines: sub his *profundi*: e quibus nascuntur *lumbricales*. Tum *flexor minimi digiti*: ut & *pollicis flexores*, & *interossei*. EVST: T. XXIIX. XXXVIII.

In *dorso* uero manus sic se habent: sub *ligamento annulari* ad digitos procedunt *extensoris communis* tendines; & *minimi digiti* & ad

pollicem uero, *extenfores* eius: *αντιθεναρ* T. XXVIII. Tum *extenfores indicis* & *abductor* eius: *υποθεναρ* & *interosfei*. T. XXXIX. F. I.

Femori anteriori, fi ab exteriori initium fumferis, ita adplicantur. *Membranofi* portio *uastus externus*: *rectus*; *vastus internus*: *fartorius*; *gracilis*: *femimembranofus*. In triangulo uero: cuius latera fingunt *offa innominata*; *fartorius* & *gracilis*: fi ab fuperioribus inceperis, uidentur; tendines *iliaci interni*: *ψοας magni*: *pectinaeus*: & *adductor femoris primus*. *Recto* fubiectus *cruraeus*. *Vastis* tandem remotis, adparent ceteri *adductores* femoris.

Natium primum ftratum fit a *glutaeo maxumo*: fecundum, a *glutaeo medio*: *pyriformi*: *marfupio*, *cum marfupiali*: & *quadrato femoris*, T. XXIX. Tertium tandem explet *minor glutaeus*.

Femoris pesteriores funt fequentes: *Membranofus*: portio *externi uasti*: *biceps*: *femitendinofus*: *femimembranofus*: ut & *adductores femoris*.

Ad externum ergo *genu* latus est folus tendo *bicipitis*: ad internum uero funt quatuor: quorum fummus eft *fartorii*; tum *gracilis*: post *femimembranofi*: tum *femineruofi*: & denique *femimembranosi*: huius enim latior est *femitendinosi* tendine, cui quoque fubiectus.

Tibiae anteriori, & *fibulae*, fi ab interioribus ordiaris, ita incumbunt: *Tibialis anticus*: extenfores *longi digitorum* & *pollicis*: & *fibulaei*.

In

In *crure posteriori* primum ſtratum faciunt *gaſtrocnaemii* ; tum tendo *plantaris* : ſecundum *ſolaeus* : in poplite uero est *poplitaeus.* Tertium uero tres ſequentes, ſi ab *tibia* inceperis ; *perforans* : *tibialis posticus* : & *flexor pollicis longus.*

Sic ergo ſe excipiunt illorum tendines: *Achillis* : *plantaris* : *flexoris pollicis longi digitorum* : *tibialis postici* ; *antici* : *extenſoris pollicis longi* : *digitorum* : *noni pedem mouentium* ; *peronaei breuis* : *longi* : tum denique rurſum *chorda magna.*

In *planta tandem pedis*, post integumenta communia, primum ſtratum conficit *απονευρωσις tendinea* : ſecundum , *perforatus* : *abductor pollicis* : eius *flexor breuis* , *abductor minimi digiti.* Tertium conſtituunt *flexores longi digitorum* & *pollicis* : *carnea maſſa* & *lumbricales.* Hisce ablatis , ſequuntur *adductor pollicis* : *transuerſalis* : *flexor primi internodii minimi digiti* : tandem *interosſei.*

F I N I S.